DISSERTATIO PHILOLOGICO-MEDICA
INAVGVRALIS
DE
MEDICINA
EJUSQUE PRÆSTANTIA.
QUAM
DUCE ET AUSPICE DEO OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
CHRIST. BERNH. ALBINI,
A. L. M. Philoſophiæ & Medicinæ Doct. Anatomes
Chirurgiae & Medicinæ Profeſſ. Ordinar.

NEC NON

Amvliſſimi SENATVS ACADEMICI conſenſu, & Nobiliſſimæ
Facultatis MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime conſequendis,
Eruditorum examini ſubjicit
DANIEL VINK, Traject. ad Rhen.
Ad diem 14. Februarii, *loco horiſque ſolitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,
Apud ALEXANDRUM VAN MEGEN, Academiae
Typographum. MDCCXXIX.

Terent. in Prol. Eunuch. ℣. 41.

Nullum eſt jam dictum, quod non ſit dictum prius.

Quintil. Lib. 2. Inſtit. Orat. cap. 20.

Multa fiunt eadem, ſed aliter.

INTEGERRIMO. VIRO.

GUILIELMO. VINK.

MERCATORI. APUD. TRAJECT. AD. RHENUM. VIGILANTISSIMO. PARENTI. OPTIMO. INDULGENTISSIMO. NUNQUAM. NON. OMNI. HONORE. VENERANDO.

NEC. NON.

NOBILISSIMIS. ATQUE. EXIMIÆ. ERUDITIONIS. CONSUMMATÆ. EXPERIENTIÆ. ET. ACUTISSIMI. INGENII. LAUDE. CELEBERRIMIS. VIRIS.

D. CHRISTIANO. BERNHARDO. ALBINO.

A. L. M. MEDIC. ET PHILOS. DOCT. MEDICINÆ. ANATOMES. ET. CHIRURGIÆ. PROFESSORI. UT. ET. HUJUS URBIS. POLIATRO. MERITISSIMO. PROMOTORI. PLURIMUM. HONORANDO. CUM. MAXIME. RECTORI. MAGNIFICO.

D. HERMANNO. BOERHAVE.

A. L. M. MEDIC. ET. PHILOS. DOCT. MEDICINÆ. BOTANICES. COLLEGII. PRACTICI. ET. CHEMIÆ. IN. ALMA. ACADEMIA. QUÆ. EST. LUGDUNI. BATAVORUM. PROFESSORI. COLLEGII. CHIRURGICI. EJUSDEM. URBIS. PRÆSIDI.

D. HERMANNO. OOSTERDYK. SCHACHT.

A. L. M. MEDIC ET. PHILOS. DOCT. MEDICINÆ. THEORETICÆ. ET. PRACTICÆ. ET. COLLEGII. PRACTICI. IN. EADEM. ACADEMIA. PROFESSORI. ILL. AC. PRÆPOT. ORDINUM. HOLLANDIÆ. AC. WESTFRISIÆ. COLLEGII. THEOLOGICI. MEDICO. IBIDEM. COLLEGII. PHARMACEUTICI. PRÆSIDI.

D. JOSEPHO. SERRURIER.

A. L. M MEDIC. ET. PHILOS. DOCT. MEDICINÆ. THEORETICÆ. BOTANICES. PHILOSOPHIÆ. AC. MATHESEOS. PROFESSORI.

D. ARNOLDO. DRAKENBORCH.

J. U. D. HIST. AC. ELOQ. PROFESSORI. STUDIORUM. MEORUM. FAUTORI. OPTIMO. OMNI. HONORE. PROSEQUENDO.

D. PE-

D. PETRO. VAN. MUSSCHENBROEK.

A. L. M. MEDIC. AC. PHILOS. DOCT. PHILOSOPHIÆ. ATQUE. MATHESEOS. PROFESSORI.

IN. CELEBERRIMO. TRAJECTINORUM. ATHENÆO. PROFESSORIBUS. PRÆCEPTORIBUS. DE. ME. MEISQUE. STUDIIS. OPTIME. MERITIS.

TUM ETIAM

NOBILISSIMO ERUDITISSIMO

VIRO

D. ISAACO. BREBERENO.

VAN DYCK.

MEDIC. DOCT. APUD. TRAJECT. AD. RHENUM. POLIATRO. EXPERTISSIMO PRACTICO. FELICISSIMO. AMICO. PRÆ. MULTIS. MAXIMIS. IN. ME. MEAQUE. STUDIA. BENIGNISSIMO. FAVORE. COLLATIS. BENEFICIIS. OMNI. OFFICIORUM. GENERE. DEMTO. FINE. SUBMISSE. COLENDO. SUSPICIENDO.

Haſce ſtudiorum meorum primitias
in devoti animi τεκμήριον, *ea,*
qua par eſt, reverentia

D. D. D.

DANIEL VINK.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30346770

INTRODUCTIO.

DE ſpecimine, quo Academico more inaugurari conſueverunt ad Doctoratus gradum adſpirantes, fluctuanti animo meditatus & diu circumſpiciens, tandem *Medicinæ Dignitatem ac Præſtantiam* brevibus verbis delineare conſtitui. Ea præcipue ratione, quoniam ex *Actis Erudit.* intellexerim, cum maxime aleam inter Angliæ Litteratos acriter agitari, *Utrum Quirites Medicinam dignam judicaverint, ut illi Romana gravitas operam daret, an ſervis potius & libertinis commiſerit.* Quæ materia mihi, catalogo Medicorum adſcribi ambienti, eo potius arriſit, cum nihil magis nobis a natura inſitum ſit, quam ut ſauciati Medicinam expetamus: quare huic profundo venenoſoque vulneri medelam veritate facere conabimur. Nullum igitur mirari ſubeat, ſi in præſens, virulentum illud, quod Medicorum corpori jampridem & a vetuſtiſſimis temporibus inflixerunt feræ, percurare vulnus aggredior; quippe neglectum, aut male curatum ſua nos majori in dies exeſit feritate; vires etenim acquiſivit eundo, nec reliquorum more vulnerum, quæ calumnia intulit, temporis decurſu, aut cicatrice obduci, aut miteſcere ſaltem, pote fuit: ſed e diverſo una cum ſeculis ætatibuſque hominum inveteravit, atque ita exaſperatum eſt, ut in ulcus ferinum cancroſumque degeneraverit. Præterea non ſolum Medicis, ſed etiam Litterariæ Reipublicæ intereſt, recidivus ille ſerpens Python, qui tot Apollinis Nepotes commordet, ut trucidetur; is quippe morſu ſuo trifido, ceu triplici telo, non Medicos unice, ſed tres perſonas transfodit, nam cum primis Æſculapii filios transverberat; 2° Auditorem veritate privat; dum illius in aures ſuum venenum transmittit; 3° Delatorum porro conſcientiam atrociter ſauciat. Quam medelam ideo ſupra *brevibus verbis* me delineaturum in hac Inaugurali Diſſertatione dixiſſe monere oportet, B. L, cum id ſpecimen non niſi Epitome amplioris ſit Diſſertationis, cui prius

Inauguralem Diſſertationem inſcribere decreveram. Verum deinde re paulo attentius perſpecta facile comperi, eam conſuetum Inaug. Diſſertationis modum longe excedere, qua de cauſa melius fore duxi, ut iſtis Momis atque Criticis omnis mordendi via amputaretur, in brevi quaſi tabella ea ut vera depingere, quæ in ipſa Diſſertatione jam ſub prelo ſudante, ex ipſis antiquitatis monumentis latius probabo. Non me adeo arrogantem tamen quis putet, ut eligerem materiam, qua tyrocinium depono, quæ ab omni ævo adeo Doctorum torſit ingenia. Ut autem hæc a me aliena ſit cogitatio, ac probe noverim quam curta mihi ſit ſuppellex, non tamen me culpandum fore exiſtimavi, ſi hanc materiam, etſi a Viris Doctiſſimis, ut omnia fere in ſtudio noſtro, diu occupatam arriperem, in qua ingeniolum meum exercerem. *Audere enim*, ut cum Quintil. lib. 10. inſt. orat. C. 7. loquar *non dedecet, & ſi quid deſit operi, ſupplet ætas, & ſi quæ dicta ſunt juveniliter, pro indole accipiuntur;* nam ſicuti ait ille Poëtarum ingenioſiſſimus Propert. lib. 2. El. 8. ℣. 9.

Quod ſi deficiant vires audacia certe
Laus erit in magnis & voluiſſe, ſat eſt.

Atque cum procul dubio quam plurima invenientur, quæ cenſura veſtra, L. B., carere non poterunt, ea amica benevolentia mihi ignoſcatis etiam atque etiam rogo. Denique his æqui bonique conſulite donec per commodius tempus, provectioremque Muſam, & plura & meliora proferre liceat. Hiſce igitur præmiſſis, ad ipſam me confero Diſſertationem, in qua I. Ea contemplabimur, quæ de Medicinæ origine ac progreſſu antiquitas nobis obſervanda reliquit; II. Quæ eſt Præſtantia, Uſus, atque Neceſſitas Medicinæ, nec non quæ Privilegia ac Honores Medicis inde fuerunt conceſſa; III. Denique an hanc Artem dignam judicaverint Quirites, ut ei Romana gravitas operam daret, an ſervis potius & libertinis commiſerit? Poſtremo num paucorum (quod jam facimus) veterum tenuitas noſtratibus obeſſe queat.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-MEDICA *INAUGURALIS.*

DE MEDICINA EJUSQUE PRÆSTANTIA.

SECTIO I.

§. I.

MEdicina eſt, ſecundum Clar. *Boerh.* in Inſtitut. Med. §. 22. *ſcientia eorum, quorum applicatorum effectu, vita ſana conſervatur, ægra vero in priorem reſtituitur ſalubritatem.* Quæ definitio ſtatim prodit tantam materiam ac ſegetem laudis, Medicinæ propriæ, ut in limine hæream, incertus propemodum, unde faciam initium laudandæ iſtius Artis, quæ jam olim a Celeb. illo JCto Tiraq. de Nobil. C. 31. §. 1. habita fuit, omnium artium ac doctrinarum Nobiliſſima, aut certe nulli poſtponenda; ſive ipſius originem & initia, incunabula, progreſſus, ſive auctus & incrementa, ſive materiem, ſive finem, ſive eos, qui eam exercuerunt, & omnia denique quæ ad eam pertinent reſpicias.

§. 2. Incipiam tamen ſecundum ordinem mihi propoſitum ab Artis origine, quæ ſive Hebræos ſequamur, ſive Ægyptios, Græcos, Romanoſque ab ipſa Divinitate manavit. Nullum enim eſt dubium, quin ea Deum habeat auctorem, quippe quotquot unquam a C. M. vixerunt homines, uno omnes ore ac conſenſu Medicinæ initia Diis immortalibus adſcripſerunt. Nam ut a Moyſe, omnium eorum, qui exſtant, ſcriptorum antiquiſſimo, exordiamur, hic certe *Gen. Cap.* I. ℣. 28. Deum O. M. una cum naſcente mundo, herbas, ſtirpes, & arbores fructiferas, itemque animantia, & alias res univerſas, quibus in hodiernum uſque diem ad tuendam ſanitatem & propulſandos morbos utimur, e nihilo condidiſſe, omniaque in hominis uſum largiſſime conceſſiſſe diſerte ſcribit. Et Moyſis veriſſimi Vatis ſententiam J. Syrach, inter Hebræos vir ſingulari pietate, variaque rerum cognitione præditus *Cap.* XXXVIII. ℣. 1. *ſui Libri* confirmat, & Medicinam, ut Dei munus agnoſcit, ſtatuitque Medicum Dei beneficio inter homines verſari, cum dicit: *Honora Medicum propter neceſſitatem, etenim creavit illum Altiſſimus, a Deo enim eſt omnis medela, & a Rege accipiet donationem, diſciplina Medici exaltabit caput ejus & in conſpectu Magnatum collaudabitur, Altiſſimus creavit de terra Medicinam, & Vir prudens non abhorrebit illum. Cede locum Medico, Dominus enim illum creavit.*

§. 3. Verum enim vero non ſolum S. L. palam docent Deum & remedia nobis propoſuiſſe & Medicinam condidiſſe; ſed etiam Gentes, quamvis ipſarum mens pluſquam Cimmeriis tenebris fuerit circumſepta, hunc honorem Medicinæ tribuunt. Hi enim hanc Artem Deorum immortalium inventioni conſecraverunt: quod ex Herophilo Scrib. Larg. *in procem. de Compoſ. Medic.* affirmat. Quicquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non ſine Divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur Cicer. *Lib.* II. *de N. D. Cap.* 30. Ita enim Ægyptii, qui apud ſe hanc Artem inventam volunt, Medicinæ inventionem ſuis dicarunt Diis, ut Mercurio ſive Hermeti Triſmegiſto, Iſidi, Serapidi, & Baccho. Porro & Græci & Romani hujus Artis inventionem etiam ſuis attribuerunt Diis, veluti Apollini & Æſculapio.

§. 4. Ratio vero quare tantum huic Arti veteres tribuerunt, hæc

hæc eſt: quia, ſicuti Quintil. *in Declam.* 268. tradit: *Credebant eam vix humanis potuiſſe ingeniis inveniri.* Sive quia teſte Lucian. *in Med. Abd. T.* I. *p.* 724. *Medicina per ſe ſacra res eſt, & Deorum doctrina.* Nam ita Deos primo hanc Artem docuiſſe ſuos filios ac propinquos docet Galen. *in Med. Cap.* 1. Hînc etiam eam exercuiſſe dicuntur Deorum filii ap Ælian. *Lib.* II. *de Anim. Cap.* 18. ſive poſtremo hæc quoque cauſa, cur hanc Artem tanti fecerunt veteres, eſſe poteſt; quia forſitan ſecum reputarunt, quam multiplex in corporibus humanis ſit diverſitas, quanta ex ætatibus, ſexu, regionibus, cœlo, educatione, ſtudiis, uſu varietas; quam infinita in tot millibus herbarum (ne quid dicam de cæteris remediis) quæ alibi aliæ naſcuntur, diſcrimina; tum quot ſint morborum genera, ſicuti ex hoc uno conjici poteſt, quod oculo omnium membrorum minimo 112. morbos, ſive affectus diſtinctos aſſignat Galen. *in Med. Cap.* 15. Quare breviter cum *Virg. Lib.* II. *Georg.* ℣. 103. dicere poſſumus:

Sed neque quam multæ ſpecies, nec nomina quæ ſint,
Eſt numerus: neque enim numero comprendere refert:
Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem
Diſcere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ:
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe, quot Jonii veniant ad littora fluctus.

§. 5. Prima condendæ Arti fundamenta jecit 1° Caſus fortuitus, 2° Naturalis inſtinctus. Incrementum & Augmentum deinde dabat memoria experimentorum, quæ obtulerant duo prægreſſa. Experiendi vero occaſionem primo dedit Neceſſitas: nam quam multa & gravia paſſos, ſæpe doloribus acutioribus, ac morbis vehementioribus correptos olim mortales fuiſſe facile colligit, quicunque attente conſideraverit; quæ nudi aut pellibus rudioribus tecti pati debuerint; tum ex aëris injuriis, per inæquales autumnos modo æſtu ſoluti, modo frigore adſtricti; tum ex inordinato & rudiori illo victu; ne de animi perturbationibus, ira, terrore &c. ne de caſu, ictu, omnibusque violentiis externis ab hoſtibus aut feris illatis, quid addam; ne memorem miſeros, fructus herbasque legentes, fefelliſſe ſæpius Aconita, Helleboros, Colocynthides; eodem ſolo ſalutaria non tantum folia, ſed etiam nocentia, iis quandoque ſimillima nutriente; in quibus interdum

etiam anguis delituit, ac virus effudit. Unde quum commode intelligeretur longe beatiorem eſſe eorum ſtatum, qui ſecunda valetudine fruebantur, quam qui iſtis malis affligerentur, Artem condere cœperunt, qua homo ab illis morbis liberaretur, & in ſanitatis terminis conſervaretur: quod etiam affirmat Divus Hippoc. *de Vet. Med. tom.* I. *p.* 16. *Ed. Lind.* Præterea conſtat illis non admodum difficile fuiſſe & quaſdam Chirurgicas inſtituere operationes, & quædam remedia vel tentare vel etiam a brutis demonſtrata imitari, cum ad illud ipſo *Naturali inſtinctu* incitarentur.

§. 6. In primis autem huic Arti experimenta dedit conſuetudo, qua antiquitus varios apud populos ægri ſolebant in Compitis ac Viis publicis exponi, quo rogarent homines tranſeuntes, eodemne morbo laboraſſent, & quo pacto eſſent reſtituti. Qui mos non ſolum apud Ægyptios, Babylonios, varioſque Hiſpaniæ populos, ſed etiam apud Italos, Judæos atque Scotos viguit. Verum ſi forſan adeo felicibus non eſſe ægris liceret, facillima hac methodo e triviis, acquirere auxilia, alia adhuc incedebant via, de ſanitate recuperanda ſolliciti, adeundo Deos, & vota pro ſalute ferendo vel opem illorum per inſomnia precibus ſollicitata efflagitando. Nam illos, qui aliquid a Diis petere volebant, cubare in eorum, quorum ope indigebant, fanis, tanquam reſponſa ab iis vel vigilantes vel in ſomniis accepturos docet Taubm. *ad Plaut. Curcul. Act.* I. *Sc.* I. ℣. 62. Dii in quorum templis hoc fiebat, præcipui fuerunt Iſis, Serapis, Bacchus, Apollo ac Æſculapius. Hi vero ægri ſomno moniti, etiam ſanati fuerunt, uti teſtatur Galen. *de Curand. ration. per ſang. miſſ. Cap. ult.* Quibus autem ritibus ille, qui ſomnia capturus eſſet, erat obſtrictus nos ex Pauſ. *in Att. pag.* 84. docet Vir admirandæ eruditionis Rodig. *Lib.* XXVII. *Ant. Lect. Cap.* XIV. *Ad hujus item oraculum, qui pergit, inquit, purgari primum oportet. Purgatio autem eſt ut Deo res ſacra peragatur: cui & omnibus quorum nomina in ara ſculpta ſunt, ſacrificant. His peractis mactati arietis pellem ſubſterni, atque ita ſolitos dormire captantes ſomnii ſignificationes.* Quo uſque hæ incubationes duraverunt, oſtendit Taubm. *ad Plaut. Curcul. Act.* II. *Sc.* I. ℣. 1.

§. 7. Porro modo jam memorato valetudine recepta, non tantum grati animi indicio ſolvebant vota, quæ tempore infirmitatis fecerant; verum etiam poſthac, qua ratione ſanitatem recupera-

verant,

verant, tabulis ſeu anathematibus ad templorum parietes appenſis, vel in eorum ſacrario depoſitis, teſtatum faciebant. Quemadmodum enim conſtat, quod ægri vel eorum cognati atque amici vota facere ſolerent, ſic etiam verum eſt, quod valetudini jam reſtituti Diis vota, tempore infirmitatis ſuſcepta, ſolverent, uti luculenter Inſcriptiones ap. *Gruter.* atque *Reineſ.* indicant. Quænam autem hæc fuerint dona, docet Tomaſ. de *Donar. pag* 223. V. G. oculum ponebant, aut crus, aut manum, qui oculo, aut crure, aut manu laboraſſent; imo hanc rem quoque confirmare videtur antiquus lapis ap. Cuper. *in Harpocr. pag.* 47. Nec non hujus loci forte eſt illud Odontagogum plumbeum in Apollinis templo, cujus meminit Cæl. Aurel. *Lib* II. *de morb. chron. Cap.* IV. Deinde morbis liberati in templis ſuſpendebant tabulas curationes continentes, longe certe præſtantiori uſu quam hodie demortuorum inſignia: ita Pauſ. *in Corinth. pag.* 173. *Pilæ vero intra ambitum priſcis temporibus multæ ſteterunt, e quibus ſex ætate mea reliquæ. In iis virorum & fœminarum, quæ a Deo curatæ ſunt, nomina inciſa, morborum etiam, quo quiſque laborat: addita eſt curationis ratio.* & *in Achaj. pag.* 596. *Modico a Myſæo intervallo ſurgit Æſculapii templum: Cyros vocatur. Multa hic monſtrantur remedia.* Quare puto magn. Broekh. *ad Tib. Lib.* 1. *El.* 3. ℣. 28. aliquid humani paſſum fuiſſe, cum aſſerit in hiſce tabellis præter eam corporis partem, quæ fuerat adfecta aliud nihil expreſſum fuiſſe: cujus tamen contrarium quoque oſtendit Strab. *Lib.* VIII. *pag.* 374. *Hæc quoque urbs obſcura non eſt: maxime propter Æculapium, qui ibi claret, crediturque omnis generis morbos depellere, ſemperque templum refertum habet ægrotantibus, ac tabellis dedicatiциis, in quibus quo quiſque morbo liberatus fuerit conſignatum exſtat, ſicut & in Co & Triceæ.* Ad q. l. conſulendus eſt *Caſaub.* & *Caſtell. in Vit. Ill. Med. ap. Gron. in Theſ. ant. Græc. tom.* X. *pag.* 866. Præterea hodie adhuc varia harum formularum, quibus hæ tabellæ conſcribebantur, monumenta paſſim proſtant, u ap. Virum præclaræ eruditionis Mercur. *Lib.* I. *de Art. Gymn. C.* 1. qui ea ex Maphæorum monumento, alto pedes 11ˢ, longo pedes $\overline{11}$, ſpiſſo digitos $\overline{11}$, quod in templo Æſculapii inventum, exſcripſit, & ex Græco ſermone in Latinum vertit. En exemplum.

Sanguinem revomenti Juliano deſperato ab omnibus hominibus ex ora-

oraculo reſpondit Deus. Veniret, & ex ara caperet nucleos pini & comederet, una cum melle per tres dies: & convaluit, & veniens publice gratias egit, præſente populo.

Vid. etiam Boxhorn. *Quæſt. Rom. ap. Græv. in Theſ. ant. Rom. tom.* V. *pag.* 926. Denique hic ſuſpendendarum tabularum mos uſque ad Antonini Imp. ætatem non modo in Græcia verum etiam in Italia perduravit, ut *Mercur. l. l.* probat. Poſtremo igitur ex hiſce omnibus colligo, ac mihi valde probabile videtur, quod hujusmodi tabulæ primam hominibus anſam dederint Medicorum ſcholas extruendi. Medicina enim tot experimentorum ſubſidiis nixa facile tandem artis formam induere potuit: ac ita Hippocrates his tabellis exſcribendis Medicinam Clinicen vocatam inſtituiſſe dicitur ap. Strab. *Lib.* XIV. *pag.* 657.

SECTIO II.

§. 1. Hæc jam dicta de hujus Artis origine ac progreſſu ſufficere viſa fuerunt, pergo igitur ad Præſtantiam, Uſum & Neceſſitatem Medicinæ. Nam ex iis, quæ hactenus intellexiſtis Dignitas Medicinæ, Deos auctores habentis, exſplenduit utcunque, verum eniteſcet illa aliquanto magis, ſi porro non ſolum monuero occupari hanc Artem circa hominem Nobiliſſimum illud Animal, quod Dei Conditoris ſui imaginem circumfert, ac cui dominium conceſſum eſt reliqua in animantia, quæ in pulcra hac mundi fabrica occurrunt; verum etiam ejus finem eſſe Sanitatem, ut Leidenſis Hippocrates Magn. Boerh. in Inſtitut. Med. §. 20. docet. Qua nihil inter omnia mortalium bona præſtantius, nam ea neglecta nulla cæterarum rerum poſſeſſio eſt jucunda: etenim ſis licet dives agris, dives poſitis in fœnore nummis, adſint honores, accedant voluptates, ſanitas corporis ſi deſit, nihil certe erit. Triſtis ac abjectus erit animus; nec vel tantillum omnibus hiſce bonis titillabitur. Idem uſuveniet, ſi duxeris uxorem, cui Juno ac Venus faverunt; ſi nati ſint pueri melliti; ſi præditus ſis præclaris animi dotibus; ſi denique pectus ſit inſtructum ac imbutum cunctarum ſcientiarum atque artium diffuſa cognitione; profecto ut ut cuncta hæc & ſingula animum afficiant, ſi tamen negata ſit valetudo, nihil certe aut parum delectabunt. Imo quam multos

reperias,

reperias, qui amiſſam valetudinem vel omnium bonorum ſuorum jactura ac profuſione cupiunt redemptam, & ſane ſi quis omnibus ſuis bonis atque fortunis evolvatur, modo ſanitatem ſi ſervat, facilis ac expedita ſæpenumero ſupererit via atque facultas rem faciendi & omne damnum toleratum reſarciendi, Plut. *de tuend. Sanit. Cap.* XXI. Quid igitur Medicina Nobilius? quippe ſi Artis pretium pendet a pretio objecti, debet omnium Præſtantiſſima eſſe; nam mentem nil valere, niſi corpus bene valeat, conſtat: quid enim juvat mens in ſapiente, ſi Apoplexia corripiatur? Unde non immerito in Apollinis Deliaci veſtibulo legebatur: OPTIMA RES SANITAS, Ariſtot. *Lib.* I. *Ethicor. Cap.* I. ſic etiam Juven. *Sat.* X. vſ. 356. dicit,

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

Secundum quam ſententiam ferunt Pyrrhum illum bellicoſiſſimum Epirotarum Regem, cum Deos precando, ſacrificando, & donaria conſecrando veneraretur, nunquam ab illis regni ampliorem Majeſtatem, nec de hoſte victoriam, neque etiam gloriam illuſtriorem, vel divitiarum abundantiam & id genus alia, quibus mortalium plerique inhiant, ſed unum hoc *Bene valere ac ſanum eſſe* a Diis precari ſolitum, tanquam hac parte bene conſtituta proſperius cætera ceſſura viderentur, ut inter plura alia egregia huc facientia docet Lucian. *in Dial., cui titulus eſt, pro eo, quod inter ſaltandum lapſus fuerat; tom.* I. *pag.* 500. Ex quibus leviter duntaxat delibatis jam abunde conſtare arbitror, quam præſtans bonum cenſenda ſit corporis Sanitas: ac proinde rurſum, quam digna Ars ſit Medicina, utpote, quæ faciat ac inventa ſit ad illam ipſam tuendam ac curandam: hinc Gothofred. *ad L.* IV. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* ex Imp. Juliani Epiſtola docet *Medecinam eſſe Artem hominibus admodum ſalutarem, atque cœlo delapſam.* Præter quem etiam audire poſſumus Caſſiod. de Utilitate ipſius *Lib.* VI. *Var. Epiſt.* XIX. ita diſſerentem: *Inter Utiliſſimas artes, quas ad ſuſtentandam humanæ fragilitatis indigentiam, Divina tribuerunt, nulla præſtare videtur aliquid ſimile, quam quod poteſt auxiliatrix Medicina conferre. Ipſa enim morbo periclitantibus materna gratia ſemper aſſiſtit. Ipſa contra dolores pro noſtra imbecillitate confligit: & ibi nos nititur ſublevare, ubi nullæ divitiæ, nulla poteſt dignitas ſubvenire.* Ex hiſce ergo colligo Nihil eſſe Medi-

cina melius; Nihil optabilius; Nihil hominum generi datum præſtabilius. Nam ſi ſit vita cunctis mortalibus cariſſima, ſi lux ea cum primis expetenda, in qua vivimus, ſpiramus, & jucunda conſuetudine inter nos conjungimur, ſi ea primum ſit & præſtantiſſimum munus animantibus attributum: Ars, quæ illam ſervat, continet ac tuetur, quo pacto non ſit omnium Præſtantiſſima? Quid ea poteſt homini magis in votis eſſe, quæ infeſtiſſimos humani generis hoſtes, morbos (inquam) & adverſam valetudinem propulſat? Quæ vitam incolumem & ab omni ærumna & languore liberam quam diutiſſime tutatur? Et ut corporis firma conſtitutione nullæ opes nullæ fortunæ ampliores: ſic imbecilla & labanti illa Nihil laborioſius, Nihil calamitoſius eſt. Qui igitur in hoc periculum adductis ſubvenire & opitulari queat, tantum abeſt, ut in illorum offenſionem incurrat, ut etiam illos ſumma conſuetudine & amicitia ſibi conjungat, atque quaſi pro Numine, ut inquit *Hippocr.*, colatur, qui tantas opes reſtituerit, per quas externæ quoque fortunæ obtineri poſſint, illarumque uſus jucundus atque dulcis habeatur. Vid. quoque Herald. *Lib.* V. *Animadverſ. in Salm. obſerv. ad Jus Att. & Rom. Cap.* XX. §. 1. *&* 6.

§. 2. Quod vero ad Uſum atque Neceſſitatem Medicinæ pertinet, de eo breviter agam, cum ſatis ſuperque omnibus conſtare mihi perſuadeo eam eſſe ſumme Utilem atque Neceſſariam, ſi dummodo conſideretur, quantum agmen morborum genus humanum infeſtare ſoleat, ac quantis periculis caſibuſque fragilia mortalium corpora ſint expoſita; & uti homine nullum animal excellentius, ita homine quoque nullum animal calamitoſius eſt: Quocirca ſi deſtitueremur munere Medicinæ, quæ morbos propulſat; quæ vulnera ſanat; quæ artus luxatos reſtituit; quæ membra diffracta inſtaurat, vix vita nobis vitalis relinqueretur. Quare puto ex hiſce & ſequentibus haud difficile evertere poſſe argumenta eorum, qui aut Idiotæ, & imperiti, aut erga Medicos male affecti, plus nimio ſuis affectibus indulgentes ea condemnant, quæ ignorant. Nam ita Medicinam non eſſe Neceſſariam ex eo deducere ac probare conantur, quod Herod. *Lib.* I. *Cap.* CXCVII. ſcribit: *Babylonios atque Ægyptios ægrotos in forum extuliſſe, nec Medicis uſos fuiſſe.* Et ex Plin. (ut nil nugarum deſit) qui

Lib.

Lib. XXIX. *C*. I. dicit: *Plurimas gentes ſine Medicis vixiſſe*. Verum utut hæc ſeſe habeant, narrat *Herod.* priſcis Babyloniis in uſu fuiſſe, ut languentes in forum efferrent, prætereuntes conſulendi gratia, an ſimili morbo laborarint, & ecquid remedium ipſis auxilium fuerit. Ergo non ſine Medicina, quamvis ſine Medicis vixerunt. Hinc Celſ. *in Præf.* quoque ſcribit: *Hæc* (ſc. Medicina) *nuſquam quidem non eſt. Siquidem etiam imperitiſſimæ gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt.* Atque notandum, quod ullo abſque dubio apud iſtos priores populos, ut Babylonios atque Aſſyrios, etiam tunc nondum pulcerrima Inſtituta, Mores & Leges, quæ deinde viguerunt, admiſſa fuerint; Rod. a Caſtro *in Med Polit. Cap.* VII. Sed egregie ac ſtrenue contra iſtos malevolos Medicinæ obtrectatores hoc olim jam defendit, eorumque argumenta funditus disjecit Ampl. Beverovicius *in ſua contra Mortaigne defenſione*, qui *in Lib. gallice conſcripto*, *Les Eſſais Lib.* II. *Cap.* XXXVII. hanc notam Medicis inurere tentaverat. Imo Plin. ipſe *l. l.* addit: *Ceu vero non millia gentium ſine Medicis degant, nec tamen ſine Medicina.* Quod non mirum, ſiquidem credibile eſt humanum genus tunc temporis æque ac nunc ægrotationi obnoxium fuiſſe, ut ille Batavorum ΣΩΤΗΡ *in Inſtitut. Med.* §. 3. probat 1° Ex injuriis & viciſſitudinibus inevitabilis, ſemperque neceſſarii aëris. 2° Ex alimenti natura. 3° Ex natura potulenti. 4° Ex corporum irruentium vi. 5° Ex actionibus vitæ. 6° Ex fabrica denique compagis humanæ. Ex quibus Vir ille quoque concludit coævas mortalibus ægritudines, quamdiu ea, qua nos, lege vitam egerunt. Hoc autem loco altera inquirenda eſſet calumnia, nim. *Romani quondam ſub Catone Cenſorio Medicos omnes & Urbe tota, & tota Italia pepulerunt.* Quo infelici ſemente primus omnium, (quem ſcio, de Plinio enim non loquor) ille non Illiteratus, aſt Vaniſſimus de Vanitat. ſcient. ſcriptor Agrippa *Cap.* LXXXIII. *pag.* 399. *de Medic. Operat.* ſexto decimo ineunte ſeculo integra Literarum Seminaria Tubingenſe & Argentinenſe conſevit. Quod paucis attigiſſe ſufficiat, cum atroci huic calumniæ dudum nervos ſucciderint Viri Literaturæ Hiſtoriæ fama doctrinaque Illuſtres: quippe ita Cl. Drelinc. in ſua elaboratiſſima *Apolog. Med.* hanc calumniam a Medicorum ordine jam depulit. Verum inſuper

inſurgunt iterum alii, qui quaſi conglomeratis copiis in Medicinam, nec non Medicos impetum facere tentant, dicendo Utiliſſimam hanc Artem non eſſe Neceſſariam, ſed plane ſupervacaneam. Quod affirmare volunt ex falſa conſeqentia: Quod terminus noſtræ vitæ ſit fixus, qui igitur, ſi fixus ſit, neque imminui neque extendi poteſt: & ita ſtulta quadam religione Medicinæ opera Neceſſaria non eſſe affirmant, quod ſanitas & morbus, vita & mors penes Dei voluntatem ſint; ita ut nulla arte poſſit evitare homo, quod de eo Deus O. M. decreverit & apud ſe habuerit ſtatutum. Qam quæſtionem libenter omiſiſſem, quia illam determinari ad Theologos magis, quam ad Medicos pertinere videtur; ne tamen in hac *Inaugur. Diſſert.* hæc quæſtio deſideraretur, cum de iis, quæ ad Neceſſitatem Medicinæ ſpectant, agimus, eam prætermittere nolui neque debui. Tota igitur hæc argumentatio ſponte cadit non ſolum ex iis, quæ Beverov. *in Lib. de vitæ termino* habet; verum etiam, ſi dummodo obſervemus Deum plerumque decreta ſua perficere per cauſas naturales, atque per manus hominum, uti docet Cl. ac Reverend. Senex. Gisb. Voet *in diſſ. Epiſtol. de termino vitæ ad Ampl. Beverov. pag.* 256. Imo Reverend. ille Senex ibi inter alia etiam notat, *Medicos hinc Dei manus vocatos fuiſſe.* quo nomine eos veteres appellaſſe ex Galen. *Lib.* VI. *de Compoſ. Medic. ſecund. loc. p. m.* 173. Ex nona Junt: Edit. conſtat. Verum enim vero quis ipſorum Calumniatorum eſt adeo ſtolidus atque demens; qui morbo correptus Medicinæ reſpuat adjumentum, & eadem deliria non ſomniat? Quis, ſi crus fregerit, aut membrum luxaverit, ſi vulnus acceperit, obligari recuſet? Quis angina pene ſuffocatus, diro aut duro calculo gemens, & ſub colico impatienter ingemiſcens dolore, vertigine rotatus, aut irrequieto alvi murmure Diarrhæa confectus, Medicum non exorat ſupplex, & auxiliatrices exoptat illius manus, obſervat mandata, & totus in vitæ ſpe, horridam licet potionem, & exoſam conatur ebibere? Et hinc Senec., etſi fatis maxime addictus, tamen lumine rationis & veritate compulſus, ſic locutus fuit *Lib.* II. *Nat. Quæſt. Cap.* XXXVIII. *Cum ſanitas videatur eſſe de fato, debetur & Medico: quia ad nos beneficium fati per hujus manus venit.* Præterea Deum decreta ſua perficere per media, id eſt, per cauſas Naturales ex eo conſtat,

quod

quod quoties populo ſuo certam prædixerit victoriam : Tradam eos in manum veſtram, ut *Jud. Cap.* XX. & *Exod. Cap.* XVII. vſ. . & 10. toties ille ab omni bellico apparatu non abſtinuerit, ut ex pluribus S. S. locis patet. Quin imo Deus ita aliquem ad ſanitatem reſtituturus, id plerumque cum ſolo ſuo nutu aut verbo facere potuiſſet, efficere maluit cauſa quadam Naturali, id eſt, Medicina, qua palam oſtendebat ſe Medicinam admodum probare. Nonne ſic Hiskiam ſanavit ficis ? ut conſtat ex *Lib.* II. *Reg. Cap.* XX. vſ. 9. Quæ naturalis, ſicuti differit Barthol. *de Morb. Bibl. Cap.* X. fuit curatio. Sic etiam Rachel venuſta, ſed ſterilis Jacobi uxor, quamvis fæcunditatem a Deo precata obtinuerat *Geneſ. Cap.* XXX. vſ. 14. non prius tamen concipere potuit, quam poma Mandragoræ a ſorore Lea deguſtaſſet Joſeph. *Lib.* I. *Antiq. Cap.* XXVIII. Hæc de Medicinæ Neceſſitate dicta ſunto; ad ejus Uſum redeamus, quem tanti habeo, ne me exclamare quidem pudeat Nullam ſcientiam, Nullam artem, Nullam doctrinam Utiliorem, Nullam magis Neceſſariam hominibus, Nullam vitæ Conducibiliorem; quin imo Nullius ferme ſcientiæ Utilitatem Uſumque latius patere. Nullum enim eſt hominum genus, Nullus civitatis ordo, Nullus ſexus, Nulla ætas, quæ non Utilitatem ex Medicina petat; ſummi, medii, infimi, viri, fœminæ, liberi, ſervi, infantes, pueri, adoleſcentes, juvenes, ſenes, & ſi quæ præterea ætas, quotidie ægrotent. Verum igitur eſt, quod Quintil. *in Declam.* CCLXVIII. ſcribit: *ſola eſt Medicina, qua opus eſt omnibus.* Nam licet reliquis artibus nec ſemper nec omnes egeamus, hujus Utilitate mortalium conſtet omnis vita: imo cum plurium morborum ea vis eſt, ut certa mors ſit, niſi præſens adſit Medicus, qui hominem jamjam moriturum Arte ſua ſervat, ejuſque animam in corporis latibulis deliteſcentem ab ipſo limine mortis revocat, veluti in ſtupore, quæ mulieribus potiſſimum ſolet accidere, & ſic etiam eſt vulvæ converſio, ſyncope profunda, paralyſis, apoplexia, & alii prope infiniti morbi, quos Medicus Arte ſua depellit, vitamque ſubito oppreſſam reſtituit: imo quot hodie mortalium millia vivunt, valentque, qui ne nati quidem eſſent, niſi hæc Ars & tot naſcendi diſcriminibus remedia & obſtetricandi rationem reperiiſſet, quemadmodum unico, quod pro multis eſſe poteſt, exemplo

Magni Fernelii probabo: Cum aliquoties in Aula Gallica deliberatum eſſet de repudianda Catharina Medicæa, annos complures ſterili matrimonio Henrico Valeſio, poſtea Gallorum Regi, juncta, & ob publicam pacem, quæ, regno ad aliam ſtirpem delato, vacillare plerumque ſolet, tantum non res ſuas ſibi habere juberetur, commodiſſime, & veluti Deus e machina adfuit Clar. Medicus Joan. Fernelius, qui *quod a natura negatum eſſe videbatur* (Scævolæ Sammarthani verba ſunt) *inviſam ſterilitatem a domo regia repulit, Valeſiumque nomen optata generoſæ prolis acceſſione propagandum curavit.* Cui igitur debuit Regina hoc nomen? nonne Ferrelio? cui Rex ipſe uxorem, cui liberos? nonne Fernelio? cui florentiſſimum Galliæ regnum tres Reges Franciſcum II. Carolum IX. Henricum III.? nonne Fernelio? Adeoque ſtatim in ipſo limine vitæ & pariens ſimul & naſcens ſalutarem Medicorum opem miſerabili voce implorat, & horum Arti vitam debet, qui nondum vitam accepit, dum per eam prohibentur abortus, dum mulieri ſeminis recipiendi retinendique vis confertur, dum pariendi facultas datur; & hinc *Homo Homini quaſi Deus videtur.* Hæc forſitan quoque ratio fuit, cur Veteres ſibi perſuaſerunt, Medicos mortuos ad vitam revocare poſſe, qualia paſſim occurrunt exempla, veluti de Æſculapio ap. *Plin. Lib.* XXIX. *Cap.* I. de Aſclepiade ap. Celſ. *Lib.* II. *Cap.* VI. Hinc Medicus dicitur vitam dare ap. Senec. *Lib.* III. *de Benef. Cap.* XXXV. Poſtremo ipſi JCti quam maxime Medicinæ indigent, cum in jure multa judicio Medicorum relinquantur; Ex. Gr. An vulnus ſit lethale, nec ne; & utrum quis vere ſit furioſus, an vero furorem ſimulet, ut impune delinquat; imo an valetudo militis ejuſmodi ſit, propter quam is dimittendus eſt; & an ægrotus ſit ſanæ & integræ mentis, ut hinc ſciatur, an poſſit teſtari, imo quanta obſecro de Poſthumis contentio & dubitatio urget JCtos? Et niſi a Médico ſigna conceptus & tempora enixus edocti fuerint, ægre hanc litem dirimere poſſunt, quin puerum nothum vel ſubditicium, cum avitæ ſtirpis dedecore, pro legitimo hærede inſtituant: ut docent JCti, quos laudat Zach. *Quæſt. Med. Leg. Lib.* II. *tit.* I. *Quæſt.* I. §. 1. Bohn. *de Renuntiat. vulner. pag.* 2. & Hertium *in diſſ. de inſpect. ocul.* §. 5. 10. *ſeq.*

§. 3.

§. 3. Idcirco etiam recte Veteres Medicinæ Utilitatem conſiderantes, curarunt, ut in quacunque civitate certus Medicorum numerus eſſet, veluti patet *ex L.* VI. §. 2. *D. de Excuſat.* Hinc Cyrus ſapientiſſimus Perſarum Rex ap. Xenoph. *de Inſtitut. Cyri Lib.* I. *p. m.* 29. dicit: *Urbes Medicis indigere, quibus & bene valere opus eſt.* Imo hæc Medicinæ Neceſſitas atque Utilitas quoque cauſa exſtitit, cur Veteres ex publico Medicis ſtipendia victumque concederent; ita enim illis annonas ex publico conceſſas fuiſſe apud Ægyptios oſtendit Diod. Sic. *Lib.* I. *Cap.* XXIX. De Romanis Lamprid. *in Alex. Sever. Cap.* XLII. Sic quoque Cæſares ſingulos in annos Medicis impendiſſe ccl. H-S. docet Plin. *Lib.* XXIX. *Cap.* I. Præter quæ annua ſtipendia adhuc maxima donaria illis extra ordinem data commemorantur: Ita memoriæ proditum eſt, Eraſiſtratum ex Ariſtotelis filia genitum, Medicum perquam ſolertem, donatum fuiſſe centum talentis, a Rege Ptolemæo, quia patrem ſuum Regem Antiochum in ultimo vitæ periculo conſtitutum, Artis ſuæ dexteritate conſervaſſet Plin. *Lib.* XXIX. *Cap.* I. *Hic* (ſc. Eraſiſtratus) *Antiocho Rege ſanato centum talentis donatus eſt a Rege Ptolomæo filio ejus.* Quod tamen id. Plin. *Lib.* VII. *Cap.* XXXVII. Cleombroto Ceo adſcribit: de quibus ſententiarum divortiis conſul. Fabrit. *Bibl. Græc. Vol.* XIII. *pag* 152. Galenus cum Boëthi Coſ. Rom. uxorem a matricis hæmorrhagia ſanaſſet, quadringentis aureis ab eo donatus fuit, ſicuti ipſe *Cap.* VIII. *de Præcogn. ad Poſthum.* dicit. Imo quod omnem poſteritatis fidem exſuperare videri poſſet, ni Cominæus *Lib.* VI. *Cap.* 12. intaminatæ, illibatæque famæ hiſtoricus, Regiique comitatus aſſecla, teſtimonium diceret, ſingulis menſibus, præter alia lauta munera Ludovicum XI Galliarum Regem Archiatro ſuo Jacobo Cotterio annumeraſſe decem aureorum millia, ita ut ille Medicus intra V. menſium ſpatium acceperit L. millia aureorum, præter Epiſcopatum Ambianenſem ejus nepoti, & munera publica propinquis & amicis ejus donata. Aſt ut noſtra ac recentiorum attingamus tempora & præmia: paucis abhinc annis alter Ludovicus XIV. Galliarum Rex, Archiatro ſuo ſeptuagenario majori, cum ſibi calculum exſcindi feciſſet, ut Mæcenati ſuo velocior adeſſe, ac promptior inſervire poſſet, abſoluta cura, ampliſſimum, tantoque Rege digniſſimum Munus miſit, quo omnibus innoteſceret,

ret, quam cara & exoptata ſibi fidelis ac exercitati Medici tum vita tum præſentia forent Hemſterh. *in Orat. de Med. Neceſſ. ac Dignit. pag.* 29. Ac Ludovicus XV., qui impræſentiarum vaſti iſtius Imperii habenas moderatur, ante VI. admodum annos a fideli ſuo Medico *Helvetio*, a gravi morbo liberatus, ei annuum 6000. florenorum donarium dedit; hinc non abſque re verſiculo illo pervulgato dicitur:

Dat Galenus opes, dat Juſtinianus honores.

§. 4. Porro hæc Præſtantia & Uſus Medicinæ cum Veteribus innotuerit, eos ita incitavit, ut, qui eam Artem profitebantur, maximis, imo Divinis honoribus affecerint: quare recte Senec. *Lib.* I. *de Clem. Cap.* II. dicit: *Sicut Medicinæ apud ægros uſus, ita etiam apud ſanos honor eſt.* Atque ſi honores unius tantum Hippocratis evolvere vellem, ex iis totam componere diſſertatiunculam haud difficile eſſet. Nam huic ſoli tot, quot uni mortali unquam honores decreti fuerunt. Quanti enim eum æſtimavit Magnus Perſarum Rex Artaxerxes, ex *Epiſt.* (quæ ſubjunguntur Hipp. *Oper. tom.* II. *pag.* 898. *ſeq.*) ab eo ad vel de Hippocrate ſcriptis abunde conſtat. Ex iis enim notum eſt, Artaxerxem ei conceſſiſſe, ſi eum adire vellet (quippe tunc temporis magna peſtilentia ejus regnum invaſerat) tantum auri, quantum voluerit & reliqua abunde, quibus opus haberet: imo ei promiſit Optimatibus Perſarum æqualem eſſe; quod optime ſciebat, non facile eſſe invenire viros, qui conſilio præſtant. Inſuper ipſe Hippocrates in Epiſtola ad S. P. Q. Abderitarum teſtatus fuit, ſibi, ſi ad Magnum acceſſiſſet Perſarum Regem, totæ civitates humanis opibus refertæ obtigiſſent: verum hæc omnia magnanimiter Hippocrates recuſavit, dicens, ſe & victu & veſtitu & domo & omni ad vitam ſufficienti opulentia frui, atque ſe tantummodo Patriæ, ſed non barbaris hominibus, qui ejus Patriæ erant hoſtes inſervire velle: hinc vero Rex Artaxerxes, cum admodum iratus eſſet, a Cois petiit, ut ſibi Hippocratem traderent, ſin minus ſe eorum urbem devaſtam, & inſulam diſtractam ita in pelagum converſurum, ut in poſterum nemo ſciret, an in hoc loco fuiſſet inſula aut Urbs Cos: verum enim vero fideliſſimi hi Coi, ejus Viri virtutem utilitatemque bene percipientes, reſponderunt, ſe Hippocratem non daturum, etiamſi peſſima morte eſſent interituri. Cæterum

rum eidem Hippocrati Abderas ſanandi Democriti cauſa proficiſcenti univerſa civitas non viri tantum, ſed & mulieres, inſuperque ſenes & pueri obviam ante portam proceſſerunt, illumque ſummis & honoratiſſimis titulis proſequentes, ſervatorem Patriæ, Patremque appellaverunt. Præterea tota etiam Epidaurus ipſi una cum Æſculapio univerſos Lucos, multa templa, & neſcio, quæ non ſolennia conſecraverunt: nec non ei a S. P. Q. Athenienſi is honos eſt habitus, eaque relata eſt gratia, ut propter ſervatam a truculentiſſima peſte Græciam ei Ludi decreti ſint, Magnisque Myſteriis, ſecundus ab Hercule, ab iis initiatus, aureaque corona mille aureorum Regio plane inſigni donatus, civiſque conſcriptus ſit, atque in Prytaneo alimenta tum ipſi tum poſteris ejus data ſint, qui honos in Græcia maximus habebatur, teſte Meib. *ad Jusjur. Hipp. Cap.* XXI. §. 7. Inſuper ab iiſdem Athenienſibus omnibus Coorum liberis conceſſum fuit, ut Athenis pubeſcant, ſicuti liberi Athenienſium: quandoquidem Patria ipſorum hujuſmodi Virum genuit. Conſul. *Decretum Athenienſe*, quod exſtat ap. Hipp. *tom.* II. *pag.* 936. nec non Soran. *in ejus Vita* quoque ap. Hipp. *l. l. pag.* 951. qui ibidem auctor eſt, Coos eidem quotannis, die 27. menſis Agriani parentaſſe. Porro, ne in honoribus uni Hippocrati illatis ſubſiſtamus, etiam quædam aliorum exempla in medium proferre pergam. Nam ſic quoque Machaonem Divinis honoribus proſecutum refert Pauſ. *in Lacon. pag.* 278. Galenum poſt mortem pro Deo habitum ex aliorum auctoritate tradit Euſeb. *Lib.* V. *Eccleſ. Hiſt. Cap. ult.* Præterea tam inſignis apud Smyrnæos Medicis habebatur honos, ut mihi ſane gratuler, me hanc occaſionem nactum, illius notitiam ex antiquitatis tenebris in lucem proferre; honos autem, quem dico, is erat, quo communiter cum Prætoribus, ſummis nimirum urbis Magiſtratibus, ornabantur, ut nomen eorum Nummis imprimeretur. Porro quo magis oſtenderent Smyrnæi, in quanto pretio eſſet, apud eos Ars Medica, Medicorum nomina Deorum ſalutarium imaginibus adjungi volebant, Confer. Mead *de Numm. a Smyrn. in Medic. honor. percuſſ. pag.* 50. *&* *Tab.* I. *N.* 1. *&* 4. Deinde quanta auctoritate Democedes apud Darium Perſarum Regem valuit, nunc non oſtendam; & hinc Perſæ hodie adhuc Medicum *Aragol-abama*, id eſt, *Patrem Nobilem* vocant, docente Pier. Va-

lerian. *in Embl. Med. pag.* 128. Imo tanti olim habebantur, ut Ducibus ac Vicariis, quæ dignitates inter maximas imperii recenſentur, æquipararentur, ut palam fit *ex Leg. Unic. Cod. de Com. & Archiatr.* ad quam Leg. etiam conſul. Pereziuin; quod affirmat Fileſac. *Lib.* I. *Selest. Cap.* XVII. Sic quoque in Saxonia Doctorem Medicinæ in ſeſſione, ſtatione, & præceſſione præferri Quæſtori Electorali, etiamſi hic literas vocationis nomine Electorali Medico exhibuerit, teſtatur Deciſio & Sententia Dnn. Scabinorum Electoralium Lîpſienſium ap. Valent. *Tom.* I. *Pandect. Med. leg. pag.* 520. Quin imo ſic Medici ipſis JCtis in Academia Oxonienſi prælati fuerunt, ut Hofman. ex aliquo ſtatuto A° MCCCLXXXIV. promulgato probat *in Lex. Univerſ. in voce Medici.* De quo tamen honoratiori loco potius inſpiciatur Hippol. Obic. de Nobil. Med. pag. 49. & Col. Pier. Salutat. *in Lib., utrum dignior ſit ſcientia Legalis, vel Medicinalis.* Poſtremo Frid. Movius *in Diſput. Jur. de Medicis pag.* 16. (quæ exſtat ap. Rhetium *in Vol.* I. *Diſput.* II.) probat, Medicos privilegiis Nobilium gaudere, portando in inſignibus ſuis galeam apertam fruendoque aliis Nobilitati conceſſis dignitatibus & juribus. Adeoque recte Veteres hujus Artis Excellentiam ac Præſtantiam pernoſcentes, ab ea non tantum relegarunt Fæminas & Servos, Petit. *Leg. Attic. L.* III. *tit.* 8. verum etiam ad eam non admiſerunt ſpurios aut aliqua infamiæ macula notatos, utpote dignitatis ac honoris minime capaces, teſte Auguſtin. Anconit. *Lib. de Poteſtate Eccleſ.* ap. Tiraq. *de Nobil. Cap.* XXXI. §. 76. Antequam vero pergo, mihi hic paululum ſubſiſtendum duxi ad hæc Petiti & Auguſt. Anconitani loca inquirenda. De Servis autem Medicis infra *Sectione* III. opportunior erit agendi locus. Quod vero ad Fæminas, ex hac ſapientiſſima Athenienſ. Lege patet, eos, cum viderent ſexum ſequiorem profeſſioni Medicinæ ſe immiſcuiſſe (veluti ſemper fecit) ab omni praxi Medica ſolemniter mulieres arcere omni modo anniſos fuiſſe. Cum probe ſcirent Dignitatem & Præſtantiam Medicorum, ipſiuſque Artis vix pati, ut mulieres ad colum & culinam natas in conſortium ſuum adſciſcerent. Accedit, quod mulieres, quum plenæ rimarum, hac atque illac perfluentes, plerumque anſerum inſtar garrulæ ſunt, ac nulla tamen virtus magis decet Practicum Artis, quam taciturnitas, quare

eandem

eandem merito a Medicinæ Candidatis, honoribus Doctoralibus exornandis, in ſolenni Juramento ab Hippocrate inſtituto efflagitant Promotores: quia multorum adfectuum ea eſt indoles, ut, ſi præter neceſſitatem a Medico garrulo propalentur magnum ægrotanti hinc enaſci queat præjudicium. Ac licet communiter objiciatur, obſtetricia tamen munera, quamvis reliquum Medicinæ exercitium ipſis eripiatur aut interdicatur, rectius ac tutius mulieribus, quam viris committi; obſtat tamen laudabilis Gallorum, Belgarum ac Helvetiorum conſuetudo, qui publico ſtipendio alunt juratos quoſdam Chirurgos, mulieribus, difficultate V. G. partus laborantibus ſuppetias ferentes, a qua conſuetudine, omni etiam laude digniſſima, niſi tantopere abhorrerent noſtratium muliercularum mores, quis dubitat, fore, ut pleraſque illarum ex lethi faucibus erepturi aut ſaltem a funeſtis ſymptomatibus præſervaturi eſſent talium operationum periti Chirurgi vel Medici. Tandem de Spuriis res cum diſtinctione expedienda mihi videtur; an paternorum vitiorum quoque hæres ſit, nec ne? illo caſu recte removetur ab honoribus ceu notatus: hoc vero non, ſi quis ei infamiam dictaret, innocenti pœnam inffligeret, quod contra omnia jura faſque foret. Unde concludo ſpurium criminis paterni exhæredem, uti ad alias dignitates *L. VI. D. de Decur. Spurii Decuriones fiunt, & ideo fieri poterit ex inceſto quoque natus, non enim impedienda eſt dignitas ejus, qui nihil admiſit.* cum non ſuo, ſed alieno laborat malo: ita ad hanc quoque admittendum, præſertim ſi illud dotes animi ejus mereantur, non obſtante ſtatuto, quale aliquibus in Academiis viget, Valent. *Tom.* I. *Pandect. Med. Leg. pag.* 438. quod neminem ad dignitatem Doctoris vel Licentiati admittit, niſi qui legitimitatem natalium ſuorum exacte poſſit docere; verum iſtius rigor Principis ſingulari gratia facile poteſt molliri, idque amore Literarum facile impetratur. Ad rem vero redeamus. Sic quoque J. Cæſar, animadvertens quantæ Utilitates in Repub. Medicos fore, eos jure Civitatis donavit teſte Suet. *in Cæſ. Cap.* XLII. Quem honorem nulla pecuniæ æſtimandum fuiſſe dicit Lipſ. *Lib.* IV. *Magnit. Rom. Cap.* X. Porro Medicis publicæ erectæ fuerunt ſtatuæ, veluti non ſolum conſtat ex Barthol. *de Tibiis veter. pag.* 159. verum etiam exemplo Galeni hoc docet Briſſon. *Lib.* III. *Sel. Ant. Cap.* III. Denique ſic etiam

notiſſimum Antonii Muſæ exemplum hoc confirmat, cui, quoniam Auguſtus ex ancipiti morbo ejus opera convaluerat, ſtatuam juxta Æſculapii ſignum poſitam fuiſſe docet Suet. *in Aug. Cap.* LIX. Vid. etiam Figrel. *de Stat. Ill. Roman. pag.* 112. Præterea eandem ob rem ei etiam multa adhuc donata fuit pecunia, atque & ipſi & omnibus eandem Artem exercentibus in poſterum tempus Immunitas conceſſa fuit, affirmante D. Caſſ. *Lib.* LIII. *pag.* 517. Ex quo etiam loco patet ipſi jus aurei annuli datum fuiſſe, quod ſolum Equitibus conceſſum erat. Conf. Conring. *Diſſ.* IV. *de Ant. Acad. pag.* 111. Et ita plurima privilegia ac honores Medicis conceſſa fuiſſe indicat Lucian. *in Med. Abd. Tom.* I. *pag.* 729. *Atqui medendi Ars, quanto eſt honoratior, vitæ conducibilior, tanto convenit eſſe liberiores, qui eam exercent: ac juſtum eſt, ut Ars in exercendi facultate aliquod privilegium habeat; nec cogatur, nec imperio ſubjiciatur res Sacra, Deorum doctrina, ſapientum hominum ſtudium; nec ſervituti legis ſubmittatur, neque timori pœniſque Tribunalium, neque ſuffragiis, neque patris minis, neque indocti hominis iræ ſit obnoxia:* & paulo poſt hæc addit: *Immunis eſt Ars ipſa quandoquidem etiam Civitates publicitus honores, præeminentias, immunitateſque, privilegia Medicis tribuunt.*

§. 5. Poſtremo ſicuti ex duobus ultimis §. *præced.* locis D. Caſſi atque Luciani, ſic etiam ex Legibus patet Medicis, nec non eorum filiis & conjugibus Immunitatem conceſſam fuiſſe, teſte Gothofred. *ad L.* I. §. 1. *ſeq. Cod. Theod. de Med. & Prof.* Non putet enim quisquam gratia tantum ſingulari in hunc aut illum collocata fuiſſe, qualia diximus beneficia; Arti habebatur honos, & univerſis eam profitentibus dabantur Immunitates. Quænam vero hæc Immunitas iis ab Imperatoribus conceſſa fuerit, percipere poſſumus; ſi obſervemus hoc Immunitatis nomine in univerſum comprehendi poſſe omnem vacationem tam munerum Perſonalium quam Patrimonialium, quæ unicuique ſine ullo perſonæ reſpectu præſtanda incumbebant. Quænam autem hæc munera Perſonalia & Patrimonialia fuerint, docent JCti ad *Tit.* IV. *D. de muner. & honor.*; *ad Tit.* V. *D. de excuſat. mun.*; *& ad Tit.* VI. *D. de jur. immun.* Quippe ſic Ex. Gr. Medicus non poterat invitus cogi, ut tutor vel judex fieret, veluti conſtat *ex* §. 15. *tit.* 25. *Inſtitut. de Excuſat. tutel.* Ab hoſpitibus recipiendis liberi fuerunt, ut Impp.

Veſ-

Veſpaſianus & Hadrianus reſcripſerunt *L. Ult.* §. *ult. D. de muner. & honor.* Etiam liberi fuerunt a militia, vectigalibus & tributis pendendis, ut Imp. Commodus ex Epiſt. Antonini Pii ſcribit *in L.* VI. § 8. *D. de Excuſat.* Quemadmodum Medicis, ita etiam eorum filiis atque conjugibus hæ Immunitates conceſſæ ſunt, ut indicat *L.* III. *&* X. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* Imo Medicos olim quaſi Sacro-Sanctos fuiſſe ex *L.* I. *Cod. Theod. eod. tit.* conjicit Gothofred Quo etiam facere videtur *L.* VI. *Cod. de Prof. & Med.* Plura de Medicorum Immunitate habentur deſiderantibus ap. G. a Reies *Elyſ. Camp. Jucund. Quæſt.* IV. §. 8. Menag. *Amœnit. Jur. Cap.* XXXV. *pag.* 273. *&* 276., Heinecc. *Ant. Rom. Lib.* I. *tit.* 25. §. 19. & Briſſon. *Lib.* II. *Select. Ant. Cap.* III. Denique hiſce omnibus ſubjungere placet Legem, qua Julianus, qui, niſi nomini maculam fixiſſet hoſtile erga Chriſtianos odium, inter ſapientiſſimos Imperatores jure cenſeretur, non ſine honorifico Utilitatis Artis noſtræ teſtimonio, ſuperiorum Principum decreta de Medicis, lege lata ſancivit: *Medicinæ ſcientiam hominibus ſalutiferam eſſe, patens ejus uſus atteſtatur, & ideo hanc e cœlo delapſam Philoſophi merito prædicant, ſiquidem cum naturæ noſtræ imbecillitas, tum morbi quotidie incidentes per hanc corrigantur. Itaque nos ſecundum juſtitiæ rationem ſuperioribus Regibus conſona obſervari percipientes, humanitate noſtra mandamus Vos in reliquis temporibus ab omnibus miniſteriis immunes vivere.* Hæc Lex exſtat ap. Mercur. *Lib.* I. *Art. Gymn. Cap.* I. *in fine* Verum præter hæc omnia jam memorata Medicis etiam conceſſum fuit jus aliquod in ipſos Reges ac Imperatores, ſicuti conſtat ex Caſſiod. *Lib.* VI. *Var. Epiſt.* XIX. *Indulge te Palatio noſtro, habeto fiduciam ingrediendi, quæ magnis ſolent pretiis comparari; nam licet alii ſubjecta jure ſerviant, tu rerum Domino ſtudio præſtanti obſerva. Fas eſt tibi, nos fatigare jejuniis: fas eſt contra noſtrum ſentire deſiderium, & in locum beneficiis dictare, quod nos ad gaudia ſalutis excruciet. Talem tibi denique licentiam noſtri eſſe cognoſcis, qualem nos habere non probamur in cæteros.* En quantum auctoritatis olim Reges Medicis ſanitatis ſuæ ſolliciti largiebantur. Ratio autem cur hæc omnia Reges Medicis indulgebant, hæc eſſe videtur, quia ſciebant ſe ab illis rem inæſtimabilem vitam ac valetudinem emere Senec. *Lib.* VI. *de Benef. Cap.* XV. Et hinc etiam Medicos ægris, tanquam

Duces militibus, & Reges ſubditis imperare dictos fuiſſe oſtendit Zach. *Quæſt. Med. Leg. Lib.* VI. *tit.* III. *Quæſt.* IV. §. 12. imo ipſis Imperatoribus imperare dicuntur ap. Plin. *Lib.* XXIV. *Cap.* I. De hac autem locutione non absque re fore duxi hic paulo latius excurrere, cum prævideo, quosdam male feriatos probare conari, quod *ægri* proprie *Medicis imperare* dicantur, ut inde aliquam falſam conſequentiam ad Medicinæ detrimentum haurire poſſent: verum enim vero Magnus ille mihi eſſet Apollo, qui id perficere poſſet. Atque hi eo nituntur fundamento, nimirum, quod ægri quibusdam in locis dicantur imperare Medicis, ut inter alia *in L.* XXVI. *D. de oper. Libert.* ubi *Medicus Libertus, quod multo plures ſibi imperantes habiturum putaret, ſi liberti ſui Medicinam non facerent* &c. dicitur. Quod manifeſtum ſervitutis indicium putant, ut *Duaren. Lib.* III. *Diſput. Anniverſ. Cap.* LIV. Quam alienum autem id fuerit ab hujus Legis ſenſu, jam demonſtrarunt, qui pro *imperantes* legendum cenſent *impetrantes*, *implorantes*; quemadmodum ad hanc Legem verbum illud etiam interpretatus fuit JCtorum Conſultiſſimus Cujacius, & Holoander. ita ut ſenſus ſit, cum Dominus libertorum etiam Medicus eſſet, quod putaret ſe tanto plures habiturum *imperantes*, id eſt, opem ipſius *implorantes*, ſi liberti ſui non eſſent Medici, nam ad illos etiam ægroti accedebant, ut ab ipſis curarentur, qui forte ad illum acceſſiſſent, non ad libertos, ſi illi Medici non fuiſſent. Cui emendationi quoque potius calculum adjicerem, quam illi Alciati, qui *Lib.* VII. *Parerg. Cap.* XIII. dicit Imperare in hac L. nihil aliud eſſe quam parere. Quod autem ad cætera attinet loca, in quibus *ægri* dicuntur *imperare Medicis*; illis facillime plura alia opponere poſſemus, in quibus propria locutione *Medicis imperium in ægros* datur, ut ap. Ovid. *Juſſa Medicorum in Ep.* XX. *Her.* ℣. 133. Senec. *Lib.* I. *de Ira Cap.* XVI. A. Gell. *Lib.* XVI. *Cap.* III. Apul. *Lib.* IV. *Floril. circa finem*; nec non *Jus vitæ ac necis habere* dicuntur ap. Plin. *Lib.* XXIX. *Cap.* I. Hinc igitur tantum abeſt, ut Commentatoribus ad Senec. *Lib.* VI. *de Benef. Cap.* XVI. Lectio, qua Medicis dicuntur imperare ægri, placuerit, cum multo potiori jure Medico, quam ægroto imperium convenire optime intellexiſſent, ut ſemper annotant verba *jubere & imperare Medicis* eſſe uſitatiora, & hunc locum aliqua indigere emendatione,

tione. Ita *Ant. Muretus* pro *Non tanquam amicum, ſed tanquam Imperatorem* legere vult, *Non tanquam amicus, ſed tanquam Imperator.* Nam rationi non convenire dicit, quod *ægroti Medicis*, quorum utuntur opera, dicuntur *imperare.* Similiter *Jo. Obſopeus in ſuis ad Senec. collect.* nunquam ſibi ſatisfeciſſe ait, vocem *Imperatorem*, quare ita ſcribit: *Nec credere poſſum ægros a Seneca Imperatores Medicorum nominari, quos alibi Medicorum genua tangere dicit* (ut de Brevit. vitæ Cap. VIII.) *& ſi ita eſſet, æqui id nominis amico ægro competeret atque cuivis alii, & jaceret omnino auctoris ſententia.* Inquirit igitur, an non legi debeat: Qui me non tanquam amicum, ſed tanquam intemperantem vidit. Præterea eodem modo *Ferd. Pincianus in Doctiſſ. ad Senec. Caſtigat.*, licet in omnibus, quos viderit exemplaribus verbum *Imperatorem* haberi dicat, minime tamen aſſentitur, ſed alterutro ex duobus modis corrigendum eſſe ſtatuit, vel ſic, *Quia me non tanquam amicum vidit, ſed invocatorem*: nam invocare Medicum plerumque Seneca ponit pro acceſſere Medicum. Aut certe legendum dicit: *Emptorem pro Imperatorem*, ex verbis Ciceronis, quæ mox addit; *Non quia pluris eſt, quod vendiderunt, quam emimus.* Vid. etiam alios *V. D.* ad laud. Senec. locum. *Lib*, VI. *de Benef. Cap.* XVI. Qnicquid ſit, hi Doctiſſimi Viri, qui in Seneca repurgando, & corrigendo tam multum impenderunt operis & laboris, etiam probe intellexerunt, hanc non eſſe propriam ægrorum locutionem erga Medicos. Quippe & ita Hipp. eos Medicorum ſubditos vocat, *de Medico* §. 1. *in Tom.* I. *pag.* 45. *Non exigua autem commercia ægris cum Medico ſunt, nam ſeipſos Medicis ſubditos faciunt.* Ipſa quoque quotidiana experientia ſæpe demonſtrat, quod morbi periculoſi multos occidant ægrotos Medicis morem haud gerentes; hinc Senec. *Epiſt.* CXXIV. dicit: *Nullam habet ſalutis ſpem æger, ubi ad intemperantiam Medicus hortatur.* Porro ita aperte Medici in ægrum extollit imperium Galen. *Lib.* I. *Meth. Med. Cap.* I. nam verba adverſus Medicos adulatores faciens & eos objurgans, poſt plura ſic loquitur: *Poſtremo quicquid jubebitur, mancipiorum ritu facient, contra, quam veteres illi Medici ab Æſculapio oriundi, qui tanquam Duces militibus & Reges ſubditis, imperare ægris voluerunt, nequaquam vero Getarum, & Tibiorum, & Phrygum & Thracum emptitiorum ritu, parere atque obſequi. Itaque non qui melius artem*

callet,

callet, ſed qui adulari aptius novit, apud iſtos magis in pretio eſt: huic omnia plana, perviaque ſunt: huic ædium fores patent: hic brevi efficitur dives, plurimumque poteſt. Atque hinc intelligendus eſt Plato *Lib.* I. *de Repub. pag.* 307. qui ibi ad illud imperium Medicorum in ægros reſpiciens dicit: *In confeſſo omnibus eſt, verum Medicum corporum eſſe Principem.* Revera enim quæ ſpes ſanitatis ægrotantibus, ſi non per omnia Medicis obtemperent? Quam tuta navigatio, ſi nautæ Gubernatoris juſſa non pareant? Ideoque merito Lucian. *in Med. Abd. Tom.* I. *pag.* 724. de Medicina verba faciens ita loquitur. *Nec cogatur, nec imperio ſubjiciatur, Res Sacra, Deorum doctrina, ſapientum hominum ſtudium &c.* Plura habet G. a Reies *Elyſ. Camp. Quæſt.* VIII. *pag.* 112. Illud tamen obiter annotare non detrecto, quod ægri aliquando per impatientiam Medicis imperent, quippe non mirum eſt, morbo oppreſſos atque victos imperioſius Medicos ſæpius alloqui. Patienter enim Medicus ſe tunc gerere debet, ubi præſertim gravi morbo cruciantur ægrotantes, ſiquidem afflictis afflictio non eſt addenda, permittendumque ut morbo devicti, doloribus impatientes, morte territi, cum de vita migrare timeant & hanc ſuavem derelinquere auram adverſus Medicos, propinquos, parentes, filios, & adverſus ſemetipſos iraſcantur, ac importuna importune & imperioſe loquantur. Ac in tali caſu hæc locutio admitti poteſt, vel etiam ſi intelligatur de Medicis Chirurgis, qui plerumque ſervi erant, non vero de Medicis Clinicis.

S E C T I O III.

§. 1. Cum igitur tot honores & privilegia (ut præcedentibus vidimus) Medicis fuerint conceſſa, in animum inducere non poſſum olim Medicinam Romæ tantum fuiſſe Artem illiberalem, quæ ſolos ſervos, non vero liberos aut ingenuos homines deceret. Non deſunt enim, qui hanc Artem tot tantisque titulis ac nominibus adornatam vellicare & inter Artes ſordidas, mechanicas & minime honeſtas reponere conantur. Verum cum hæc omnia tantum ſunt mera convitia ab iniquiſſimis hujus Nobiliſſimæ Artis obtrectatoribus prolata, ad Vos provoco, Vos appello, B. L. judicate ipſi, an æquum ſit, ut tali modo de hac

Præ-

Præſtantiſſima Arte cenſeatur, cujus Inventores omnis Antiquitas ſemper Deos habuerit, de cujus Præſtantia tot Celeberrima exſtant teſtimonia, cujus Uſus atque Neceſſitas omnibus ſit tam optabilis, & cujus Profeſſores tot Præmiis munerati, tot Honoribus affecti, tantisque Privilegiis donati fuerint; ac inſuper quæ ars aut ſcientia eſt, quæ tot Nobiliſſimos Scriptores, tot Clariſſimos Profeſſores, tot denique Celeberrimos Tractatores habuerit, & nulla certe, nec ſi cunctas ſimul conjunxeritis, vix unam Medicinam numero æquabunt; nam hanc Artem Summi Reges, Imperatores, Principes & plurimi alii longe Celeberrimi Viri callere, ſibi laudi duxerunt. Ex quibus paucos huc adſcribere vobis ut opinor, nec res fruſtra, nec injucunda erit. Ita inter *Hebræos* fuerunt *Salomon R.*, *Ezechias R.*, *Agrippa R.*, *Moſis Propheta*, *Elyſæus Proph.*, *Eſaias Proph.*, *Eſdra*, *Jeſus* filius *Syrach*, *Lucas Evangeliſta*, *Paulus Apoſtolus*. Apud *Ægyptios* Medicinam quoque exercuerunt *Hammon R.*, *Athoſtas R.*, *Zoroaſter R.*, *Seſorthus R.*, *Necepſus*, vel ut alii ſcribunt, *Neapſus R.*, *Petoſiris R.*, *Ptolomæus Evergetes R.* Hiſce Ægypti Regibus adjungere fert animus *Maſſiniſſam* Numidarum R., *Jubam* utriuſque Mauritaniæ R., *Evacem* Arabum R. Sequuntur *Græci*, apud quos maximi omni ævo Viri Medicinam facere non detrectarunt. Ut fuerunt *Hercules*, *Achilles*, *Ariſtæus*, *Theſeus*, *Jaſon*, *Telamon*, ejuſque filius *Teucer*, *Machaon*, *Podalirius*, *Dionyſius Siciliæ R.*, *Alexander Magnus*, *Lyſimachus R.*, *Attalus Philometor R.*, *Mithridates*, *Antiochus R.*, *Gentius*, ſive *Gentis Illyriorum R.*, *Melampus*, *Orpheus*, *Homerus*, *Heſiodus*, *Thales Mileſius*, *Pythagoras Samius*, *Empedocles*, *Democritus*, *Hippocrates*, *Divinus Plato*, *Ariſtoteles*, *Philippus Acarnan*, *Eraſiſtratus*, *Aſclepiades*, *Craterus*, *Xenophon Cous*, *Plutarchus*, *Galenus*. Accedimus tandem ad *Romanos*, qui hanc Artem exercere nec vile, nec tractare a ſumma dignitate alienum judicarunt. Veluti conſtat ex exemplo *Catonis*, *Ciceronis*, *Æmilii Macri*, *Ovidii*, *Aur. Corn. Celſi*, *Petronii Arbitri*, *Scribonii Largi*, *Silii Italici*, *Plinii*, *A. Gellii*, *L. Apuleji*, *J. Auſonii*. Denique ex infinito Medicorum haud ignobilium, qui prioribus iſtis temporibus in hac Arte ſcripſerunt, aut alias ſe exercuerunt, numero plura exempla non memorabo, cum hæc ſatis multa ſint, & plura potius quam neceſſe fuit. De-

ſiderantes vero conſulere poſſunt Tiraq. *de Nob. Cap.* XXXI. §. 90 *ſeq.* Caſtell *ap. Gron. in Theſ. ant. Græc. Tom.* X. *pag.* 868. Voſſ. *de Philoſ. Cap.* XI. & Clercq. in *Hiſtoria Medica.* Si vero exempla Clariſſimorum Medicorum poſteriorum temporum hiſce immiſcere vellem, quis modus, quis finis eſſet? Quippe inter illos recenſere deberemus plurimos a Romanis pro ſanctis cultos, Chr. Ben. Carpz. *in Diſſ. de Medicis ab Eccl. pro Sanct. habitis Lipſ.* MDCCIX. Sic quoque fuerunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Cardinales, & Pontifices Max:, ut Paulus II, Nicolaus V, Euſebius, qui ipſe Medicus & Medici filius, Joannes XXII, theſauri pauperum & Medicinæ canonum haud imperitus ſcriptor, Barthol. *in hiſt. Paral. prim. ap. Cren. in Faſcic.* V. *pag.* 332. Proſp. Mandos. *de Pontif. Max. Archiatris in Act. Erud. A.* MDCXCVII. *pag.* 183. Præterea hic nil dicam de ſereniſſima Magnorum Hetruriæ Ducum proſapia, a Medicis oriunda; qui nec inde quinque rubras pilulas in Ducalibus Inſignibus habere erubeſcunt, uti ea de re amplius ap. Genealogicos atque Heraldicos agitur. Conf. quoque Barthol. *diſſ.* VIII. *de Med. Danor. pag.* 363. Imo Hiſtorici inter Duces Genuenſes ſeptem fuiſſe Medicos referunt. Nec non apud Scotos Medici omnes fuere Viri Nobiles, ut ex Buchan. refert Menag. *Amœnit. Jur. Civ. Cap.* XXXV. *pag.* 278. & Caſtell. *in Opt. Med. pag.* 51. *Ultimæ Conr. introd. Medic. Editioni* junctus. Inſuper ſi noſtros conſulamus Annales, ex illis videbimus Viros in hac Repub. Principes atque Nobiliſſimos Patriæ Patres hanc Artem tractare ab omni tempore ſibi laudi duxiſſe: ita Dordracenſes Beverovicio & van Someren Senatoribus gloriantur, Amſtelis ſibi Tulpium Conſulem gratulatur, Elemannus. Lugd. Batav. Conſularibus Faſcibus fulſit: qualia quoque præ cæteris Nobiliſſima exempla ipſa noſtra Urbs Trajectina varia ſuppetere poſſet.

§. 2. Ne igitur Vos, B. L., diutius morer longa ſerie exemplorum indicantium, qui & quanti Viri hanc Artem exercuerunt, §. *præc.* finem impoſui: quia tum ex illis; quæ jam in medium protulimus ſatis patet non tantum ſervos, verum etiam Viros Nobiliſſimos ac Clariſſimos hanc Artem feciſſe, tum etiam ut quibuſdam aliis adhuc argumentis hanc maculam Medicis inuſtam detergere poſſimus Igitur ſciendum eſt primos Medicos, quorum ab Antiquiſſimis ſcriptoribus mentio fit, homines ingenuos & in

ſummo

ſummo honore a pleriſque nationibus habitos fuiſſe, ut ex Elencho Medicorum dato jam conſtare poteſt. Ita apud *Hebræos* hæc Ars Præſtantiſſimis ac Celeberrimis Viris non vero ſervis demandata fuit, uti ex enumerato eorum Catalogo cuique patet: quod & locus J. Syrach. *Cap.* XXXVIII. vſ. 1. ſatis confirmat, quæ verba de Medicis ſervis nequaquam intelligenda videntur, veluti affirmat Borremans *Var. Lect. Cap.* XV. *pag.* 182. Ad *Ægyptios* autem quod attinet, Medicina apud illos ad ſummum honoris faſtigium pervenit, & non niſi Viris Nobiliſſimis curæ fuit; ſicuti, præter jam in ſcenam producta indicia, etiam conſtat ex eo, quod eorum Magi vel Sacerdotes, qui ipſi Reges vel ex eorum ſanguine nati erant Borrich. *de Ort. & Progr. Chem. ap. Manget. in Bibl. Chem. Tom.* I. *p.* 9. omnes fuerint Medici Lang. *Lib.* I. *Med. Ep.* XXXI. *pag.* 134. Unica tantum ſupereſt difficultas ex Sacris Litteris petita, Gen. *Cap.* L. vſ. 2. *Et Joſephus præcepit ſervis ſuis Medicis, ut defunctum in Ægypto patrem aromatibus condirent* &c. Ex quibus verbis contrarium volentes, ut Dempſt. *ad Roſin. Lib.* II. *Ant. Rom. Cap.* XVII. concludere tentant Medicos apud Ægyptios fuiſſe ſervos & tantum ſervilis conditionis: cui ſententiæ haud facile calculum adjicere vellem. Joſephus enim cum Aulicorum Regiorum princeps, & primus a Rege eſſet, qui ad clavum vaſtiſſimi illius Imperii ut Prorex ſedebat Gen. XLI. vſ. 40. Quis dubitaret, eum Medicos quoſdam veluti Archiatros ſuos aluiſſe, nullatenus vero ſervorum loco eoſdem habuiſſe? Hinc illis juſſit, *ut patrem ſuum aromatibus condirent*. Quod proinde eadem ratione intelligendum eſt, ſicut vel hodie adhuc, qui Regi vel Magno Principi a Conſiliis, ab Actis, a Cubiculis, vel ut brevi dicam, inter Purpuratos ſunt, miniſtri vel ſervi eorundem dicuntur, cum tamen ipſi ſæpiſſime Duces, Marchiones, Comites &c. ſint. Ergo verbum illud Hebraicum *Gnebed* quod Gen. *Cap.* L. vſ. 2. per ſervum vertitur, non ſolum ſervum, ſed etiam Aulicum atque Purpuratum denotat: nam ita Naaman, qui *Lib.* II. *Reg. Cap.* V. vſ. 1. vocatur Vir Princeps & Imperator exercitus Syriæ Regis, vſ. 6. etiam ſecundum vulgatam traditionem ſervus Regis dicitur. Atque ſic Regina Zeba, Hieroſolymam ad audiendam Salomonis ſapientiam profecta, felices atque beatos deprædicabat ſervos ejus continuo ipſum cir-

cumſtantes, ejuſque ſapientiam percipientes *Lib.* II. *Chron. Cap.* IX. vſ. 4. *&* 7. Quo nomine procul dubio Purpuratorum Regiorum haud infimos intellexit. Imo Chaldæi Magi, quos jamjam vidimus ex ſtirpe Regia originem habuiſſe, reſpectu Regis ſe vocant ejus ſervos Dan. *Cap.* II. vſ. 4. Plura de hoc *Gen.* loco habentur ap. Borrom. *Var. Lect. Cap.* XV. *pag.* 180. Quanta vero Medicorum Dignitas apud Græcos fuerit, ampliori non indiget illuſtratione, quippe ubi teſtimonia rerum, in Elencho Medicorum Græcorum tradita, adſunt, non opus eſt verbis. Niſi Lex Athenienſium addatur, qua id plane confirmatur, cujus fragmentum exſtat ap. Hyg. *Fab.* 247. *Nam Athenienſes caverant, ne quis ſervus aut fæmina Artem Medicinam diſceret.*

§. 3. Tandem denique ad Romanos accedimus, ita ut hic aliquantulum ſubſiſtere debuerimus, quippe paulo attentius inquirendum eſt, *an Romani hanc Artem dignam cenſuerint, ut eorum gravitas ei operam daret, an ſervis potius, & libertinis commiſerit.* Quæ alea jam dudum fruſtra magna animi contentione a Criticis quibuſdam, & inprimis JCtis agitata fuit. Sunt enim inter illos, qui, ut virulentum illud virus longe lateque diſpergeretur, Medicinam apud Romanos ſolummodo Artem ſordidam, illiberalem & homine ingenuo indignam contendunt, cujus exercitium tantum ſervis fuiſſet commiſſum, ut hominibus ad omnium juſſa & imperium compoſitis, & natura quaſi ſervis: cui opinioni ſua ſubſcribere voluerunt nomina *Briſſon.*, *Robortell.*, *Manut.*, *Grut.*, *Lipſ.*, *La Cerda*, *Pigno.*, *Dempſt.*, *Menag.*, *Heinecc.*, *Pitiſc.*, nec non nuperrime *Cl. Cong. Middleton Acad. Cantab. Protobiblioth. Cantab.* 1726. 4. Et iterum *in Defenſ. ſua contra quoſdam Anonymos etiam Cantab.* 1727. 4. Quibus vero argumentis neſcio, dum ipſius inſpiciendi copia mihi adhucdum denegata fuit. Qua vero ratione, quove jure hæc calumnia a reliquis Medicis ſit injecta, jam viſum ibimus. Plurimi, uno alterum ſequente id fecerunt ex male intellecta vocis Medicus ſignificatione, quæ cum nomen ſit generale, & æque Medicum Clinicum ac Chirurgum denotat; hujus Artis obtrectatores ſemper eo nomine, ubique occurrit, deſignare volunt Medicum Clinicum; vel ſaltem Clinicum & Chirurgum eundem dicunt, ut Briſſon. *Lib.* II. *Sel. Ant. Cap.* IV. & Menag. *Amœnit. Jur.*

Civ.

Civ. Cap. XXXV. *pag.* 275. Quod tamen veritati plane contrarium conſtat, quum tunc temporis Chirurgia a Medicina Clinica æque ac hodie ſeparata, & hominibus diverſæ conditionis unaquæque provincia demandata fuerit, ut *inf.* latius demonſtrare conabimur. Alii alio innixi fuerunt argumento, nimirum ea locutione, qua *ægri* dicuntur *imperare Medicis*, ſed de ea jam ſup. *Sect.* II. §. 5. egimus. Iterum alii, qui in Medicis cavillandis ſtudium poſuerunt, Medicinam Artem vilem, minus honeſtam & abjectam probare adnixi fuerunt ex loco Virg. *Lib.* XII. *Æn.* vſ. 395.

Ille, ut depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum uſumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Quibus revera ex verbis, ſi æqua lance ponderentur, nihil in hujus Artis vilipendium deduci poteſt, uti deinde in ipſa Diſſert. inquiremus. Faceſſite ergo abhinc roſores atque oſores Artis Nobiliſſimæ, ex inevitabili Neceſſitate prognatæ, ac nobilitatatæ, abſque ratione ultra verum adfirmantes, Medicos omnes vel ſaltem pleroſque apud Romanos ſeruos fuiſſe, cujus contrarium ex datis jam conſtitit; quin imo ſi omnes Medicos Romanos, qui vigenti imperio floruerunt, memorare vellem, unde finirem? Nam ita præter *Æmilium Macrum*, *Corn. Celſum*, *Scrib. Largum*, *Petronium &c.* nobis apud Plin. *Lib.* XXIX. *Cap.* I. occurrunt *Mulſi*, *Arruntii*, *Calpitani*, *Rubrii*, *Albutii*, *Stertinii*, omnes ex inſignibus Rom. familiis nati teſte Clercq. *Hiſt. Med. Part.* III. *Lib.* I. *Cap.* III. Et ita has Nobiliſſimas familias Medicos Populo Rom. dediſſe inſignes, præter laudatum Plinii locum colligitur ex Nummis atque Inſcriptionibus. Ideoque recte Medicinam inter Artes Liberaliſſimas repoſuit Senec. *in Epiſt.* LIX. *Adjici nunc, quod artes quoque pleræque, imo ex omnibus Liberaliſſimæ habent decreta ſua, non tantum præcepta: ſicut Medicina.* Inter *Artes Optimas* id: Senec. *Lib.* VI *de Benef. Cap.* XVII. Sic quoque Cic: cum 1° artes ſordidas enumeraviſſet, Medicinam artibus honeſtiſſimis cooptavit *Lib.* I. *de Off.* Præterea Medicinam Artem Liberalem & dignam homini Nobili exiſtimat *Lib.* II. *Acad. Quæſt.* Imo ipſe JCtus Medicinam inter ſtudia Liberalia numerat *in Leg.* III. *Cod. Theod. de Med. & Prof.*. ut & Wouwer. *in Polymath. ap. Gron. Theſ. Ant. Græc. Tom.* X. *pag.* 1016. Præ-

terea ad meam ſententiam magis ſtabiliendam non adducam, quod Cæſar eos civitate donaverit, de qua re conſul. Caſaub. *ad Suet. in Cæſ. Cap.* XLII. Neque quod Summi Principes ac Viri cum Medicis tam arctiſſimam iniverint amicitiam, quod ſi ſervi fuiſſent, non feciſſent. Vid. Spon. *in Miſcell. Erud. Ant. pag.* 144. Porro cum Barthol. *Hiſt. Paralyt. prim. ap. Cren. Faſcic.* V. *pag.* 328. non inſiſtam, quod Medicorum ſalarium ſtipendium, cum ſervorum dicendum ſit peculium; nec non eorum inhærebo nominibus, quæ ſervis raro niſi ſola, Medicis autem ſua Prænomina, Cognomina & Nomina; neque oſtendere volo, quod ſuas Uxores in *Inſcript.* Conjuges vocaverint, cum uxores ſervorum proprie contubernales vocatæ fuerint. Porro ex Inſcriptionibus quoque patet eos prima civitatis munera geſſiſſe; ita enim ap. Spon. *in Miſcel. Erud. Ant. pag.* 145.

P. CHARM
SOSTHE
MEDIC
IIIIII. VIR. AUG
SIBI
ANCHAR

Quod munus inter prima Urbis officia eminuiſſe docet Sert. Urſat. *in Monum. Patav. pag.* 126. Et ap. Grut. *inſcrip.. pag.* 488. *N.* XI.

V. F.
C. VIRIUS. VERUS
OUF. MED.
VI. VIR. JUN.
PONTIF. ET DECUR.
ITEM. MANIBUS. FILIORUM.
SUORUM.
ETC. ETC.

Tandem ſic ipſi Medici ſuos habuiſſe dicuntur ſervos atque libertos. De ſervis conſtat ex Scrib. Larg. *de Compoſ. Med. Cap.* XXIX. *Nam Caſſii Medici colice bona multis noti propter effectus, vera hæc eſt, ut ab ejus ſervo Atimeto accepi, legato Tiberii Cæſaris; quia is eam ſolitus erat ei componere.* De libertis patet *ex Leg.* XXVI. *D. de Oper. libert. Medicus libertus, quod putaret, ſi liber-*

ti ſui Medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum. Obiter vero notandum, quod Præſidium & dulce Batavæ Themidos Decus Ampl. Bynkersh. *Lib.* III *Obſerv. Cap.* VII. ingenioſiſſima conjectura probaverit hanc Legem ita emendandam eſſe, ut pro *Medicus libertus* legatur *Medicus Liberius.* De qua Emendatione etiam inſpici poteſt Cl. Otto *in fine præf. T.* I. *ſui Theſ. Juris.* Quippe nunc non inquiram, an recepta lectio retineri poſſit, vel an tota vox *Libertus* rejicienda ſit; an vero potius libertos, vel Patronus aut Libertus, ut nomen proprium, legi debeat. De quo interim Conſ. Cl. van de Water *Lib* II *Obſerv.Cap*IV. Hi jam ſervi plerumque fuere iſti Chirurgi ac Empyrici, qui tam ſæpe ſub Medici nomine occurrunt, & illi potiſſimum alios ſervos curare ſolebant auxiliis, quæ videbant aliquando a Dominis Medicis adhiberi; liberi enim a Medicis liberis curabantur ut Plat. *Lib.* IV. *de Leg. circa finem.*

§. 4. Accedimus igitur ad probandum, quod Medici Clinici ac Rationales apud Romanos diu ante C. Celſi tempora ab Empyricis atque Chirurgis diſtincti fuerint, qui maxima ex parte ſervi, & ſub generali Medici nomine comprehenſi fuerunt. Ante vero, quam pergo, operæ pretium duxi præmonere, quod antiquitus tempore V. G. Belli Trojani Medici ac Chirurgi uni iidemque fuerint, teſte Salm. *in prol. Hom. Hyl. Jatr. pag*, 13. Qui tamen omnes tunc Viri Principes ut Machaon, Podalirius &c. fuerunt. Hæc igitur diviſio, qua Medici Clinici a Chirurgis ac Pharmacopæis diſtincti fuerunt, circa Herophili atque Eraſiſtrati, qui vixit Olymp CXVIII. docente Voſſ. *de Phil. Cap.* XI. §. 33. tempora incidit. Medicina enim tunc ita ſeparata fuit, ut nim. una eſſet, quæ victu; altera, quæ medicamentis; ac tertia, quæ manu mederetur: ſic enim ſingulæ illæ Medicinæ partes, quæ ad illa uſque tempora uni tantum homini incubuiſſent, nunc a pluribus fuerunt adminiſtratæ, ut claris indicat verbis Celſ. *in Præf.*, ubi de tempore Herophili ac Eraſiſtrati verba faciens, ita loquitur: *Iiſdem temporibus in tres partes Medicina diducta eſt: ut una eſſet, quæ victu: altera, quæ medicamentis: tertia, quæ manu mederetur. Primam* διαιτητικην, *ſecundam* φαρμακευτικην, *tertiam* χειρουργικην *Græci nominaverunt. Ejus autem, quæ victu morbos curat, longe* Clariſſimi Auctores *etiam altius quædam agitare conati, rerum*

quoque

quoque naturæ ſibi cognitionem vindicaverunt, tanquam ſine ea, trunca & debilis Medicina eſſet. Ex cujus loci ultimis verbis luce Meridiana clarius conſtat, Medicos Diæticos reliquis fuiſſe longe Nobiliores, quod & paulo poſt affirmat, cum ita ſcribit: *Quoniam autem ex tribus Medicinæ partibus, ut difficillima, ſic etiam* Clariſſima *eſt ea, quæ morbis medetur, ante omnia de hac dicendum eſt.* Valde igitur demiror Menag. *in Amœnit. Jur. Civ. Cap.* XXXV. *pag.* 274. cum paulo ante eadem pag. Celſum *in præf.* citet, mox hanc ſeparationem memorantem ita loqui: *Quando factum hoc diſſidium, dixerit alius, non ego.* Et ad minimum poſt tempora Antoninorum imo & poſt Juſtinianum hanc diviſionem accidiſſe oſtendere conatur. Verum ſatis liquido ex Celſo jam patuit factum fuiſſe longe ante eorum tempora. Obſervandum ideo vocabulum Medicus apud Antiquos non ſpeciatim, ut hoc tempore moris eſt, verum generatim uſurpatum fuiſſe, qui enim cum maxime Chirurgi, balneatores, ocularii, herniæ medentes, lithotymi & ſimili nomenclatura vocantur, hi olim univerſali nominatione Medici vocitabantur, quamvis diſtincti eſſent, ut affirmat Galen. *ad Thraſyb. Cap.* XXIV. Et ita Empyrici, qui Medicorum ſervi, etiam Medici vocantur ap. Plat. *Lib.* IV. *de Leg. circa fin.* Præterea quoque ad rem noſtram facit *L.* I. *D. de Extraord. Cognit.* ubi Ulpian. hæc loquitur: *Medicorum quoque eadem cauſa eſt, niſi quod juſtior: cum hi ſalutis hominum, illi ſtudiorum curam agant, & ideo his quoque extra ordinem jus dici debet.* Paulo vero poſt verba textus Ulpian. declarans ait: *Medicos fortaſſis etiam accipiet eos, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris ſanitatem pollicentur; ut puta ſi auricularius, ſi fiſtulæ vel dentium &c.* ac paucis interjectis ita pergit: *Non ſunt iſta Medicinæ genera, tametſi ſint, qui hos ſibi præfuiſſe cum prædicatione adſirment.* Nam privilegia iſta, de quibus Ulp. in hac Lege meminit, & nos ſup. *Sect.* 2. §. 5. egimus, tantum conceſſa fuerunt Medicis Clinicis atque Rationalibus, minime vero communicati ſunt iſtis Chirurgis, Empyricis, vel Medicis ſervis, tanquam hominibus eorum haud capacibus præ ſervili conditione, ut docet M. Freher. *Lib.* II. *Parerg.* XVI. *in Incomparabili Clar. Otton. Theſ. Jur. Tom.* I. *pag.* 924. Et ita hæc Ulpian. verba tantum de Medicis oculariis, Empyricis &c. intelligenda eſſe quoque teſtatur Meib. *ad Jusjur. Hipp. Cap.* XVI. §. 29.

Porro

Porro Chirurgos apud Antiquos plerumque Medicos appellatos fuiſſe non tantum ea, quæ jam vidimus, docent, verum id etiam patet *ex Leg.* XVIII. §. 10. *D. de Inſtr. & Inſtrum. Legat.* nam ibi inter inſtrumenta Medicorum dicuntur eſſe *Emplaſtra atque Collyria & cætera ejus generis*, cum hæc inſtrumenta Chirurgis ſint propria: Quare *Gothofr. & Cujac. ad hanc L.* vocem Medicus exponentes, etiam explicant per iſtos, qui medicamenta conficiunt, (Pharmacopæi ſc.) vulnera curant, cucurbitas admovent, item qui circumcidunt, aut caſtrant, (Chirurgi ſc.) non vero per Medicos Clinicos vel Diæticos. Medici enim Clinici ap. Romanos, æque ac hodie, medicamenta non præparabant, ſed ſolummodo præſcribebant, & jam præparata *ut Emplaſtra*, *Collyria &c.* a Medicis Seplaſiariis vel Pharmacopæis emebant, ut docet Salm. *in Præf. Homon. Hyl. Jatr. pag.* 14. Inſuper quis adeo demens eſt, ut diceret venam ſecare, cucurbitas admovere, circumcidere aut caſtrare ad Medicos Diæticos pertinere? Quippe ſimodo Celſum *l. l.* inſpexerit, ſtatim videbit, illum perſpicue Medicos Diæticos a Medicis Chirurgis, quibus hæc provincia manu curandi demandata fuit, diſtinxiſſe: hinc recte Barth. *lib.* II. *Adverſ. Cap.* XIV. hos Chirurgos Medicorum ſectores atque miniſtros eſſe, & ab opera carnifices Medicorum vocari. Adeoque plurimis in locis ap. JCtos, ubi vox Medicus occurrit, denotatur Chirurgus vel ſimile quid, teſte Calvin. *in Lex. Jurid. in voce Medicus.* Verum enim vero cum jam olim hoc Medicinæ nomen tam late ſumptum fuerit, hinc merito non ſolum ap. ſcriptores, verum etiam in Monumentis Antiquis illa obſervata fuit diſtinctio, ut plerumque, ſi de Medicis mentio fit, nomini Medico Epitheton addatur, unde Medici erant; ſic vocabantur Medicus Clinicus, Diæticus, Chirurgus, ab oculis, ita ut primo aſpectu pateret, an quis Medicus Clinicus, an vero Chirurgus eſſet: quamvis omnes Medici nomine gauderent, ut Scrib. Larg. *in Epiſt. ad C. I. Calliſtum ap. Marcell. Multos*, inquit, *animadvertimus unius infirmitatis ſanandæ ſcientia, Medici plenum nomen conſequutos.* Nam Medicina ap. Romanos fere æque ac ap. Ægyptios plurimas in partes fuit diviſa, ita ut ſingulis fere morbis, & unicuique corporis parti Medici fuerint dicati, teſte Mercur. *lib.* II. *Var. lect. cap* VIII. nec non *Almelov.* ſibi relatum affirmat Galliæ Regem Ludovicum XIV.,

noſtratibus haud ignotum, idem voluiſſe *in Inv. nov-ant. pag.* 66. Tandem Medicos homines liberos pluribus arguit Herald. *lib.* V. *animadv. in Salm. obſ. ad Jus Att. & Rom. cap.* XX. & Hertius *in de herede occiſi vindice Sect.* I. §. 7.

§. 5. Poſtremo pervenimus ad indagandum, *utrum paucorum Veterum tenuitas Medicis hodiernis obeſſe queat.* Quod attinet ad Medicinam a Romanis tam ſero acceptam & ſolummodo Græcis commiſſam, hoc factum fuit, quia Romani homines rudes & bellicoſi non magnopere liberalibus diſciplinis vacabant. Quis enim neſcit? Romanos tempore infantiæ Reipub. ſemper in vicinos latrocinia exercuiſſe, quietos turbaſſe, bellaque geſſiſſe: inter quæ ferocia civium ſtudia omnis pubes Romana militiæ uſum & armorum frequenter jactationem ſub Dio in campis inter claſſica & tubas duntaxat exercuit. Si qui vero eſſent tempore imprimis poſteriori, ubi firmatior paulo Respub. ad frugem & mores redierat, qui altius ſaperent & a gentis ferocitate ad litterarum ſtudia procedebant, a Medicina avocabantur per ſtudium politicum, ut eo ſtatum Reipub. polire & ſtabilire poſſent Clercq. *Hiſt. Med. Part.* III. *Lib.* I. *cap.* II. Denique cum efferi adeo armorum uſu, & libertatis ſtudio homines, plurima parte ruſtici & militares ad Artem teneram & politiſſimam, atque cum cura ac ſollicitudine obeundam parum idonei illotis quaſi, ut dicitur, manibus accederent, & in illa parum proficerent, fides atque auctoritas Medicis Romanis nulla in initio fuit. Hinc vel a Græcis addiſcenda Ars Medica, vel ipſis relinquenda, & ſoli Medici Græci ægrotis fuerunt adhibendi. Igitur coacti neceſſitate Romani ad Græcos confugere debuerunt. Quia itaque in Medicina rarius & remiſſius verſati Romani deprehenduntur, id magis arguere Præſtantiam & Venerationem Artis Medicæ, quam ejus opprobrium & contemptum videtur Crellio *in Diſſ. de Ant. Muſ.* §. 7. *pag.* 17. Atqui res ſeſe non ita habuit reſpectu ſolius Medicinæ, verum etiam reliquarum ſcientiarum. Sic enim Juris peritia a Græcis ad Romanos dimanavit. Quippe ſcimus, cum uſque ad annum U. C. admodum CCC. Romani non niſi pauciſſimas leges haberent, a Regibus prioribusque Coſſ. latas, ac plerumque arbitria Magiſtratuum pro legibus haberentur, unde eveniebat, ut ſæpiſſime jus iniquum redderetur, tandem plebs Roma-

na

na ulterius hoc ferre noluit, ſed poſt varia certamina ea de re cum Patriciis habita perfecit, ut tres Legati in Græciam mitterentur, qui leges earum civitatum deſcriberent, inque XII. tabulas conferrent, adeoque Græcis ſcientiæ & litterarum palmam non inviderunt, Dion. Halic. *Lib.* X. *p. m.* 929. Imo quod ad Oratores, Rhetores, Grammaticos, Philoſophos, Hiſtoricos vel Poëtas attinet, nemo ante Punica bella clarus iis diſciplinis inter Romanos commemoratur, Heinecc. *Ant. Rom. Lib.* I. *tit.* 25. §. 16. *ſeq.* Imo non puduit Romanos omnium fere litterarum vim atque faſtigium a Græcis arceſſere atque Romam derivare, inque rem ſuam conferre. Ita enim plurimos Romanos, ut Ciceronem, Atticum, M. Brutum, Ovidium, & A. Gellium Athenas in Muſarum ſedem unicam, ut ingenuas artes colligerent, profectos conſtat. Deniqne his omnibus miſſis, ponamus, quod volunt inter Medicos Romæ unum aut alterum ſervum fuiſſe Medicum, num ex hoc efficitur Medicinam eſſe ſtudium ſervis proprium? Quid nonne contingere potuit, ut aliquis ingenuus Medicus ab hoſte captus ac venundatus deberet emptori ſervitutem ſervire? Quippe quam facile, cum Romani integras Græcorum familias a capta Græcia Romam deducerent, quibus ſervorum loco utebantur, inter illos forte aliqui inveniri potuerint Medici, qui Artem Medicam exercebant, quum Romanis hominibus rudibus, ac quaſi armis natis nullius Artis ſtudium fere cognitum foret, quam tamen, licet ut ſervi facerent, ut liberi, & antequam in Romanum dominium venirent, edocti fuerant. Quod etiam nunc alicui noſtrorum nullo negotio contingere poſſe, ſi utpote is ab hoſte barbaro fuiſſet captus, quis ibit inficias? Sic enim nuper adhuc ante quatuor circiter menſes in Diariis publicis vidimus, quod Don Balthazar de Villalba vir Nobilis, & Tribunus militum Hiſpaniarum Regis, qui a barbaris Algerinis ante viginti admodum annos in expugnatione urbis Oran ad ultimum vitæ habitum ſervire debuerit, quamvis ſæpiſſime Hiſpaniarum Rex magnam pecuniarum vim pro ejus libertate pollicitus fuerit. certe inde nulla conſequentia haberi poteſt. Verum quid multa? Eadem fata Medicinæ fuerunt ac Liberalium Litterarum, quæ maxime quidem ingenuos decebant, in univerſum autem ſervos, ſi ingenio valerent, ob merita manumittendos aliquando, non excluſe-

cluſerunt, ut teſtatur Cell. *Ant. Med. Cap.* VI. §. 5. Præterea vero ſi Medicina ſit ſtudium illiberale, quia eam unus & alter ſervus tractavit; tunc certe plura alia cæteroquin laudatiſſima ſtudia, ut Juriſprudentia, Rhetorica, Grammatica, Philoſophia & Poëſis tantum erunt ſtudia ſervis propria, cum legimus in iis plurimos ſervos ad ſummum faſtigium provectos fuiſſe. Ita enim ex Jurisperitis hic nolo commemorare Zamolxin Legiſlatorem Getarum Strab *Lib.* VII. *pag.* 297. qui ſervus Pythagoræ fuit, Porphyr. *de vita Pythag. Num.* 15. & *D. Laert.* VIII. 2. Neque oſtendere volo, quod libertis conceſſum fuerit poſtulare & munus advocati gerere, *in L.* I. §. *ult. D. de Poſtul. & L.* II. *Cod. eod. tit.* Neque in ſcenam producam (cum errore juris fuerit factum teſte Herald. *Lib.* V. *animadv. in Salm. obſ. ad Jus Att. & Rom. Cap.* X.) Barbarium Philippum, qui prius ſervus quam prætor fuit; nam herus, a quo olim aufugerat, poſtquam hunc in foro jus dicentem agnovit, tacite aggreſſus & veſte a tergo prehenſa, ſalve, inquit, veteri & ſervili nomine adjecto. At ille perculſus veteri Domino facile agnito, rogavit eum, ut taceret, domumque ſuam duxit, maximaque pecunia numerata ſe tandem redemit, teſte *Suid in ea voce.* Quum probe ſcio multos fuiſſe, qui humili loco & genere nati ad ſummas Dignitates, Gron. *ad A. Gell. Lib.* XV. *Cap.* IV. adhuc & Pontificatus adſcenderunt, quam plurimi etiam Imperatores atque Principes ex humilibus parentibus facti ſunt, an propterea illæ dignitates contemni deberent? Abſurda ſunt hæc & ridenda potius, quam audienda: hinc verba non faciam de Alpheno Celeberrimo JCto, qui ſub Sulpitio Conſul creatus fuit, quamvis in adoleſcentia ſua prius barbitonſor fuiſſet & tonſtrinam exercuiſſet, prout de eo refert Alex. ab Alex. *Lib.* IV. *Cap.* XXIII. Quanti cerdones, quanti muliones, & illorum filii, non ſolum Juriſperiti facti ſunt, ſed Prætores & Conſules creati ſunt: unde illud Romæ de Ventidio Baſſo, referente Gell. *Lib.* XV. *Cap.* IV. *Mulos qui fricabat, Conſul factus eſt.* An propterea Prætura atque Conſulatus non amplius ambiretur nec optaretur? abeant iſti Jalemo frigidiores, qui cum rationibus non poſſint ſtultis cavillationibus Medicinam adoriuntur. Præterea quid refert, quoſdam populos nunquam Jurisperitos admittere voluiſſe, ut affirmat, G. a Reies *Elyſ. Camp. Quæſt.* I. §. 19. unde quoque

que

que Colum. *in Præf. de R. R.* dixiſſe videtur: ſine cauſidicis olim ſatis felices fuerunt, futuræque ſunt urbes. Neſcio revera quid detrimenti Juriſprudentia inde capere poſſit, quod *Forum* vocatur *ἀσεβῶν χώραν, impiorum regionem*, ut ex Plut. docet Tiraq. *de Nobil. Cap.* XXIX. §. 7. ubi & ex Cic. *Lib.* I. *de Orat. oſtendit* Cauſidicum *rabulam* dictum, quam denominationem N. Marcell. a rabie deducit: *Rabula dicitur a rabie, quem nunc Advocatum vel cauſarum patronum dicimus.* Seneca ſcribit: *Juridici velut canes acerrimi non niſi oblato cibo manſueſcunt.* N. Marcell. eod. loco auctoritate Saluſtii: *Caninam Advocatorum facundiam appellat.* Senec. quoque *in Ludo de morte Claud. pag. m.* 920. Cauſidicos cum vituperio *Venale genus* vocat & Apul. *Lib.* X. *Metam.* vocat cauſidicos *viliſſima capita, forenſia pecora ac togatos vultures.* Et Ovid. cauſidicos tanquam garrulos & verboſos taxat *Lib.* III. *de Triſt. El.* XII. ℣. 671.

Otia nunc iſtic, junctiſque ex ordine ludis
Cedunt verboſi garrula verba fori.

Porro nolo hic adferre, ut cum quibuſdam malevolis oſtendam munus hoc vile & abjectum, atque etiam contemptiſſimum fuiſſe apud antiquos Romanos, quod, qui in faſtigio dignitatum collati ſemel fuerant, ab eo ſeſe ſponte abdicarent, tanquam dignitati ſuæ tenebras quaſdam offundenti. Cujus rei exemplo eſt Hortenſius, qui poſt ſuum Conſulatum ſummum illud ſuum ſtudium agendarum cauſarum remiſit, quo a puero fuerat accenſus, ut docet Cic. illius coævus *in Lib. de Clar. Orat. Cap.* XCIII. & Plinius Junior *Lib. Epiſt.* I. *ad Pompejum Falconem* ſcribit, cum Tribunus eſſet, abſtinuiſſe ſe cauſis agendis: quod deforme arbitrabatur, cui aſſurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc omnibus ſedentibus ſtare, & qui jubere poſſet tacere quemcunque, huic ſilentium Clepſydra indici: & quem interfari nefas eſſet, hunc etiam convicia audire: & ſi multa pateretur inertem: ſi ulciſceretur, inſolentem videri. Quicquid vero hujus rei ſit, econtra nos non fugit, & eam colimus ſententiam, tempore Caligulæ Juriſconſultos ex Equeſtri ordine fuiſſe, Sam. Petit. *Lib.* I. *obſerv. Cap.* X. ſequentibus quoque ſeculis Themidos Sacerdotes tanti habiti ſunt, ut Imperatorum Parentes, Amici, atque Socii nominati fuerint, Caranza *de Part. Nat. & Legit. pag.*

 128.

128. & 505. Nec non dicti Magnifici, Nobiliſſimi, Honorati, Splendidiſſimi, aliiſque Elogiis ornati ſunt, ut affirmat Franc. de Petris JCtus Neapol. *Lib. Feſtiv. Lect. Cap.* VII. *pag.* 80 Si porro reſpiciamus Rhetores, Grammaticos, Philoſophos & Poëtas, idem verum eſt. An igitur inde, B. L. hiſce omnibus rite perpenſis, ulla conſequentia haberi poteſt, quæ Præſtantiſſimis his memoratis ſcientiis obeſſe queat, quoniam aliqui ſervi fuerunt, qui eas excoluerunt? Verum certe nunquam aliquis integræ mentis id affirmare poterit; nam, eo facto, quod nim. ſcientia aliqua ut V. G. Medicina, quia in ea unus aut alter ſervus (quod jam concedimus) floruerit, ſit illiberalis tunc revera nulla ars dicenda ſit liberalis, uti ex allatis concludere poſſumus. Quin imo tunc etiam munera, quæ hodie maximi pretii habentur, & a ſummis Viris ac Principibus ambiuntur, duntaxat erunt munera illiberalia & ſervis propria, quia in Aulis priorum Imperatorum ea ſervis ac libertis demandata fuerunt, Ex. Gr. ita ſunt, qui Imperatoribus ab Actis Reineſ. *Cl.* II. *inſcr.* 59. a Veſte Grut. *inſcr. pag.* 577. *N.* VI. a Cubiculis fuerunt *id pag.* 575. *N.* V. Quod tamen munus poſtea, ut & hodie, tantæ auctoritatis atque dignitatis fuit, ut hinc in Cod. Juſtiniani titulus eſt *de Præpoſ. Sacri Cubic.* Imo cum olim très gradus ad Dignitatem in Aula eſſent Theodoſius Imperator in gratiam Macrobii conſtituit, ut omnes Cubicularii ſecundum obtinerent gradum, & ejuſdem Dignitatis eſſent, cujus Præfectus Prætorii Urbis &c. erant, ut patet *ex L. Theod. Junior. Cod. Theod. de Præpoſ. Sacr. Cubic.* Conf. Alſtorph. *de Lect. Vet. pag.* 61. An ergo hi, qui hodie id munus gerunt, poſſunt dici agere munus illiberale? revera nulla indiget refutatione; hinc neminem ſanæ mentis eſſe exiſtimo, qui mecum non conſentiat, planeque ſtatuat argumenta eorum, qui Medicinam tantum ſtudium illiberale contendunt, omnino calumnias atque nugas ad Anticyras relegandas, vel ad incolas Lunæ exilio pellendas eſſe, quum hi cum Mercurio ap. Ovid. *Lib.* II. ỷ. 315.

Candida de nigris, & de candentibus atra,

dicere non vereantur.

F I N I S.

AN-

A N N E X A.

I.

Medicina nunquam & nuſquam fuit Ars illiberalis.

I I.

Sed omnium artium eſt Nobiliſſima, aut ſaltem nulli poſtponenda.

I I I.

Morbi mortalibus fuerunt coævi.

I V.

In nervis continentur Spiritus Animales.

V.

Saliva non eſt humor excrementitius, ſed maxime ad vitam neceſſarius.

V I.

Digeſtio non abſolvitur trituratione, menſtruo diſſolvente, aut calore.

V I I.

Attamen omnes ſimul ſumtæ eam perficiunt.

V I I I.

Omnis chylus non videtur per ductum thoracicum ad venam ſubclaviam tranſire.

I X.

Vera cauſa motus ſanguinis non in ipſo ſanguine, ſed in corde atque vaſis noſtri corporis latet.

X.

Adeoque ſanguis in corde non efferveſcit.

X I.

Menſtrua æque ex vagina quam utero fluunt.

X I I.

Sanguis menſtruus non eſt venenatus.

X I I I.

Hymenis abſentia non eſt certum defloratæ virginitatis ſignum.

F I N I S.

DOCTIS-

DOCTISSIMO VIRO

DANIELI VINK,

CUM MEDICORUM ALBO INSCRIBENDUS DE MEDICINA ATQUE EJUS PRAESTANTIA ERUDITE ET SOLIDE DISSERERET,

ELICITER.

Debuit Aemathio Phoebus ſervire Tyranno,
Phoebus, qui Medica primus ab Arte Deus.
Saepius hunc Dryades, teſtis mihi Theſſala Tempe,
Riſerunt medio cogere ſole boves.
Saepe Soror gemitu diſrupit pectora, vidit
Fratris ut herboſo membra repoſta toro.
Cogitur externis, queritur, dare pabula tauris,
Et ſervus dominum turpe ſubire jugum.
Bacca maligna famem reprimit lapidoſaque corna,
Cum macerat teneros pellis iniqua pedes.
Ipſa Ego Venatrix inplebo Regia ſaltus,
Undique Virgineo cincta DIANA Choro.
Protinus occurrent miſeri veſtigia Fratris,
Certa, ſed ah noſtris ſigna timenda malis!
Scilicet ex illo Junonia tempore durat
Ira, Jovi dedit ut Pignora bina Parens.
Falleris, & nullo perdis ſuſpiria fructu,
(At fas ſit falli dicere poſſe Deos.)

Nos

Non timet aut lorum neque duros ferre labores,
  Si manet antiquis Vatibus ulla fides;
Libertas eſt prima ferunt ſervire Puellae,
  Et dare Virgineo colla beata jugo.
Quin Aliquis Batavis docuit bene doctus in oris,
  Non Medicos Domini jura ſuperba pati.
Et dixit ridens, hoc ſi ſervire vocetur,
  In ſervos cupiam nomen habere Deos.

JOANNES ARNTZENIUS, JCtus.

DOCTISSIMO JUVENI

ET CONJUNCTISSIMO

AMICO,

DANIELI VINK

MEDICORUM ORDINI INSERENDO.

S. P.

FRANCISCUS BURMANNUS.

HÆc tibi, quam cernis, meritos gratatur honores
  Littera, lætitiæ nuntia fida meæ.
Nam quamvis peragam gravioribus otia curis,
  Caſtraque Muſarum rarus, Amice, ſequar;
Non tamen officium, non promiſſumque, fideſque
  Permittunt tanto conticuiſſe die:
Huc amor accedit, teneris qui cœpit ab annis,
  Pœne puer puero cum mihi junctus eras.
Trajectum teſtor, ſociæ bene conſcia vitæ
  Mœnia, & heu durâ ſorte relicta mihi!
Illic (nam memini) nec te mihi carior alter,
  Nec tibi me totâ ſemper in urbe fuit.
Interea longo mihi tempore fata negarunt
  Adſpectumque tuum, colloquiumque tuum;
Donec Leida, decus Batavorum grande ſcholarum,
  Adſtrinxit firma pectora noſtra fide,
Leida, ubi parva tuæ pars eſt tranſacta juventæ
  Inter convictus dulcia membra mei,

Leida,

Leida, ubi Pæoniam coluiſti naviter artem;
Et quidquid ſtudiis defuit ante tuis.
Cur tamen hinc præceps patrias abreptus in oras?
Longior ah cur non hic tibi tracta mora eſt?
Hei mihi! cur animo junctorum corpora tellus
Separat? urbs cur non nos habet una duos?
Quid queror, & ſurdis repeto ſuſpiria fatis?
Triſtia non læto tempore verba decent.
Dummodo tu noſtri vivas non immemor illic,
Quemque precor ſerves nunc quoque, duret amor;
Te tua Trajectum, quam nunc, Dulciſſime rurſus
Incolis, & patrii grata latebra foci,
Te teneat quidquid carum tibi reſtat, & illic
Invigila ſtudiis proſper, ut ante, tuis:
Præcipue Medicam, quam nunc profiteberis, artem
Excole, & ægrotis fer ſapienter opem;
Namque potes, nec te didicit felicius alter
Auxiliatrices applicuiſſe manus.
Sic mea, ſic de te ſpes eſt urbiſque, Patriſque,
Cum titulis creſcet ſic tibi fama; Vale.

Leidæ a d.
XI. *Februar.*
A. CIↃIↃCCXXIX.

AEN DEN HEER

DANIEL VINK.

Na het verdedigen van de *voortreffelykheidt der Genees-kunde* tot Leeraer in dezelve ingehuldigt.

ARS NON HABET OSOREM NISI IGNORANTEM.

'T WAs VINK geen werk genoeg de wond'ren der natuur
In heilzaeme Artzeny naeuwkeurig na te ſporen:
Thans blaekt zyn ſchrandre geeſt van heilig yvervuur,
Daer wy tot Lof der Kunſt zyn goude Rede horen.
Hoe lieflyk ryſt haer glans op s'Werelds ſchouwtoneel:
Hoe vrolyk lagt ze ons aen van Memphis Praelſieraden:
Wat ſpreit ze een eedle geur door 't griekſche Luſtprieel:
Hoe kroont ze o Tyberſtroom! uw groene wandelpaden.
Te heerlyk blonk ze lang door donkre nevels heen,
Dan dat de nydt, gewoon de glory te braveren
Niet heimlyk ſmalen zou: *wat is uw luiſter kleen*
o Kunſt! die d'Oudheidt liet aen arme ſlaven leren.
Dit dult geen Telg, als VINK, aen d'eedle Kunſt verpligt;
Hy daegt haer vyandt uit ter vierſchaer van de Rede,
Die wel zig zelf verweert, maer overwonne zwigt,
Verwondert over 't brein dat zo veel wondren ſmeedde.
Wat lof, wat Eerekroon voegt den verwinnaer niet?
Myn Zangeres te zwak Hem naer waardy te ſieren,
Treed ſchaemroot agter uit, daer Febus in 't verſchiet
Zyn ſchedel zelf bekroont met eeuwige Laurieren.

I. S.

TER

TER INWYINGE

Van den zeer Geleerden HEERE

DANIEL VINK;

Tot DOKTER in de Geneeskunde.

Thans draegt de kunſt een glorikroon!
De kunſt uit 's Hemels hoge zalen
Gezonden, door de gunſt der Goôn;
Die 't menſchdom vrydt van ziekte en kwalen,
Of wat gezontheit hinder doet:
En 's levens hulk voor 't ſtranden hoedt.

Thans praeltze, fier en bly te moê,
Nu VINK, van hemels vuur aen t blaken,
Haer zwaeit gewyden wierook toe,
Voor hare Glori ſtaet te waken,
En haren onverwelkbren lof,
Doet ryzen tot aen 't ſtarrenhof.

Te lang had hy den hoon en ſmaet
Verkropt, haer Godheit aangewreven,
Dit is 't dat hem ter herten gaet,
Dies hy door yver aengedreven
Vol moets, met helm, en ſchilt, en ſpeer,
Al haer beſtryders gaet te keer.

Zyn noit bezweken moedt houdt ſtant,
Om de overwinning weg te dragen,
't Gaet wel, de vyant legt in 't zant
Geploft, en uit het velt geſlagen;
Zie hoe myn helt thans zegeviert,
Daer Febus hem met lauwren ſiert.

„ Ontfang, *dus ſpreekt hy*, waertſte zoon,
„ Getrouwſte myner voeſterlingen!
„ Ontfang uit myne hant den loon
„ Voor uwe deugt; de wereltkringen
„ Gewagen van uw dapperheit,
„ Zo ver myn koets het daglicht ſpreit.

Dus zie 'k myn Vrient, langs 't heldenſpoor
Met onvermoeide en wakk're ſchreden,
Verwelkomt van Minerve's koor,
Ten Gloritempel binnen treden;
Daer elk met vrolyk hantgeklap,
Hem toejuicht over 't Leeraerſchap.

Myn Zangſter wenſcht u heil en ſpoet,
En offert U haer Cyterklanken;
Leef lang vernoegt en welgemoet,
Tot trooſt en hulp van duizent kranken,
Zo blyve, in weerwil van de nyt,
Uw naem de onſterflykheit gewydt.

W. Kroon.